

Alte Drucke

Digestorum Sev Pandectarvm Ivris ciuillis libri quinquaginta, ad exemplar Florentinum & Haloandrinum necnon vulgatas editiones quàm diligentissimè ...

Digesta

Justinian <Byzantinisches Reich, Kaiser>

Parisiis, 1552

DIGESTORVM SEV Pandectarum Liber XXIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden. Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-150587

XVI. TRIPHONINVS lib. XI. *Disputationum.*

SI fundū, quē Titius bona fide possidebat, & longi tēporis possessione poterat sibi quærere: mulier, vt suū, marito dedit in dotem: eūmq; petere neglexerit vir, cū id facere posset: rem periculi sui fecit. Nam licet lex Iulia, quæ verat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad huiusmodi acquisitionem. non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tēpus fit. si ante quā constitueretur dotalis fundus, iam ceperat. Planē si paucissimi dies ad perficiendam longi tēporis possessionem superfuerūt: nihil erit, quod imputetur marito.

XVII. MARTIANVS lib. VII. *Digestorum.*

Fundum dotalem maritus vendidit & tradidit. si in matrimonio mulier decesserit, & dos lucro mariti cessit: fundus emptori auelli non potest.

XVIII. IAVOLENVS lib. VI. *ex posterioribus Labeonis.*

Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat. diuortio facto, quæritur, marmor, quod cæsum, neq; exportatum est, cuius sit? & impensas in lapidicinas factas mulier, an vir præstare debeat? Labeo marmor viri esse ait. cæterum viro negat quidquam præstandum esse à muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, & fundus deterior esset factus. Ego non tantum necessarias, sed etiam utiles impensas præstandas à muliere existimo: nec puto fundum deteriores esse, si tales sint lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit. ¶ Si per mulierem mora fieret, quod minus æstimationem partis fundi viro solueret, & fundū reciperet, cū hoc pactum esset: fructus interim perceptos ad virum pertinere, ait Labeo. [Sed] puto potius proportionem fructus virum habiturum, reliquos mulieri restitutum. quo iure utimur.

DIGESTORVM SEV
Pandectarum Liber XXIIII.
DE DONATIONIBVS INTER
virum & vxorem. Tit. I.

I. VLPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*

4 N ij MORI

Pars III. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

*Flo. mu-
tuato.



ORIBVS apud nos receptum est,
ne inter virum & vxorem donatio-
nes valerēt. hoc autē receptum est,
ne mutuo* amore inuicē spoliaren-
tur donationibus nō tēperātes, sed
profusa erga se facilitate [vntes.]

II. PAVLVS lib. VII.

ad Sabinum.

Nec esset eis studium liberos potius educendi. Sextus
Cæcilius & illam causam adiciebat : quia sæpe fu-
turum esset, vt discuterentur matrimonia, si non donaret
* Flo. ve- is, qui posset: atque ea ratione euenturum, vt venalia* ma-
nalicia. trimonia essent.

III. VLP IANVS lib. xxxii. ad Sabinum.

Hæc ratio & oratione imperatoris nostri Antonini
Augusti electa est. nā ita ait. Maiores nostri inter vi-
rum & vxorē donationes prohibuerunt, amorem honestū
solis animis æstimantes, famæ etiam coniunctorum consu-
lentes : ne concordia precio conciliari * videretur, neve
* Cōcordiā melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret.
* Cōbenigni- Videamus, inter quos sint prohibita donationes. Et
tate nō es- se precio, quidem si matrimonium moribus legibūsq; nostris con-
sed obse- stat: donatio non valebit. sed si aliquod impedimentū in-
quo virtu- terueniat, ne sit omnino matrimoniū: valebit donatio. er-
te & indu- go si senatoris filia libertino contra senatusconsultum nu-
stria cōpa- pserit : vel prouincialis mulier ei, qui ibi meret, * contra
rādā præ- mandata: valebit donatio, quia nuptiæ non sunt. Sed fas
clare disse- non est, eas donationes ratas esse : ne melior sit conditio
rit Cic. li. eorū, qui deliquerunt. Diuus tamen Seuerus in liberta P6
2. Offic. tij Paulini senatoris contra statuit: quia non erat affectio-
* Ca. præ- ne vxoris habita, sed magis concubina. Qui in eiusdem
fello Cōc. potestate sunt, prohibentur sibi donare: vt puta frater ma-
eos, supra- riti, qui est in potestate soceri. Verbum potestatis non so-
de ritu nu- lum ad liberos trahimus, verumetiam ad seruos. nam ma-
ptiarum. gis est, vt hi quoque, qui aliquo iure subiecti sunt marito,
donare non possint. Secundum hæc si mater filio, qui in
patris potestate est, donet: nullius momenti erit donatio,
quia patri quæritur. sed si in castra eunti filio dedit, vide-
tur valere : quia filio quæritur, & est castrensis peculij.

Quare

Quare & si filius, vel priuignus, vel quiuus alius potestati mariti subiectus, de castrensi suo peculio donauerit: non erit irrita donatio. Prohibetur igitur vxori & nuru donare etiam is, qui est in foceri potestate: si modò maritus sit in patris potestate. ¶ Ab vxoris nurusve parte prohibitum est donari viro, vel genero. Sed & his, qui sunt in eorum potestate, si fuerit donatum, vel in quorum sunt potestate, non valebit donatio: si modò vir & socer in eiusdem sunt potestate, vel vir in foceri. Cæterum si in alia familia est maritus: neque socero, neque ei, qui est in eius potestate, neque ei, in cuius est, donatione interdictum est. ¶ Socru à nuru vel contrà, donari non est prohibitum: quia hic ius potestatis non vertitur. ¶ Si seruus meus, cuius ususfructus alienus est, donet vxori meæ ex eo peculio, quod ad me non pertinebat: vel liber homo bona fide mihi seruans: an valeat donatio, quæritur? Et in libera quidè persona utcumque admitti potest donatio. cætera enim personæ alienationem peculij, vt donent, non habent. ¶ Non tantum autem per se maritus & vxor, cætera quæ personæ donare non possunt: [sed nec per alios.]

Donatio facta inter virum & vxorem non valet ipso iure, nec traditio quæ ex ea sequitur. Bartolus.

¶ Sciendum autem est, ita interdictam inter virum & vxorem donationem, vt ipso iure nihil valeat, quod actum est. proinde si corpus sit, quod donatur, nec traditio quidquam valet. Et si stipulanti promissum sit, vel accepto latum: nihil valet. ipso enim iure, quæ inter virum & vxorē donationis causæ ageruntur, nullius momenti sunt. Si quis igitur nûmos vxori dederit: nō fieri eius apparet: quia nihil corporis eius fieri, palam est.

Si mandato meo debitor alij soluit, mihi creditori est solutus, & à me illi. ideo si vir mandat debitori suo, vt vxori soluat, talis solutio ipsum liberat. Baldus.

¶ Sed si debitorem suum ei soluere iusserit: hic quæritur, an nûmi fiant eius, debitorque liberetur? Et Celsus libro decimoquinto Digestorum scribit: videndum esse, ne dici possit, & debitorem liberatum, & nummos factos mariti, *Flo. 170.
[deinde* vxoris. nā & si donatio iure ciuili non impediret. vulg. an
tur: eum rei gestę ordinem futurum, vt pecunia ad te à de- vx.

Pars IIIL. Digestorum lib. XXIIL. Tit. I.

bitore tuo, deinde à te ad mulierem perueniret. nam celeritate coniungendarum inter se actionum vnam actionem occultari. ceterum debitorem creditori dare, creditorem vxori. nec nouum, aut mirum esse, quod per alium accipias, te accipere. nam & si is, qui se procuratorem tui creditoris esse simulauit, à debitore tuo iubente te pecuniam acceperit: & furti actionem te habere constat, & ipsam pecuniam tuam esse. Huic sententiæ consequens est quod Iulianus libro decimo septimo Digestorum scribit. ait enim, si donaturum mihi, iussero vxori meæ dare: nullius esse momenti. perinde enim habendum, atque si ego acceptam & rem meam factam, vxori meæ dedissem. quæ sententia vera est.

IIIL. IULIANVS lib. XVII. Digestorum.

Idemque est, & si mortis causa traditur mihi, iusserim vxori tradere. nec referre, cõualuerit donator, an mortuus sit. neque existimandum est, si dixerimus valere donationem, non fieri me pauperiorem: quia siue conualuerit donator, ei conditione tenebor: siue mortuus fuerit, rem, quam habiturus eram, in bonis meis desinam propter donationem habere.

Donatio facta à sponso sponsæ valet & tenet, licet traditio sit facta postea, constante matrimonio, dummodo à sponso ante matrimonium contractum fuerit facta traditio procuratori vxoris, secus si à procuratore sponsi. Baldus.

V. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

Si sponus sponsæ donaturus, tradiderit Titio, ut is sponsæ daret: deinde Titius tradiderit post nuptias securas: siquidem eum interposuerit maritus: donationem non valere, quæ post contractas nuptias perficiatur. si verò mulier eum interposuit: iamdudum perfectam donationem, hoc est ante nuptias: atque ideo, quamuis contractis nuptiis Titius tradiderit, donationem valere. ¶ Si maritus duos reos habeat Titium & mulierem, & mulieri accepto tulerit donationis causam, neuter liberatur: quia acceptatio non valet. & hæc Iulianus libro decimo septimo Digestorum scribit. Planè mihi si proponas Titio accepto latum esse: ipse quidem liberabitur, mulier verò manebit obligata. ¶ Generaliter tenendum est, quod inter ipsos, aut

aut qui ad eos pertinent, aut [quod] per interpositas personas donationis causa agitur: non valere. quod si aliarum extrinsecus personarum rerumve causa commixta sit: si separari non possit: nec donationem impediri. si separari possit: cetera valere, id quod donatum sit, non valere. ¶ Si debitor viri pecuniam iussu mariti uxori promiserit: nihil agitur. Si uxor viri creditori donationis causa promiserit, & fideiussorem dederit: neque virum liberari, neque obligari mulierem, vel fideiussorem eius, Iulianus ait: perindeque haberi, ac si nihil promississet. ¶ Circa venditionem quoque Iulianus quidem minoris factam venditionem, nullius momenti esse ait. Neratius autem (cuius opinionem non improbat Pomponius) venditionem donationis causa inter virum & uxorem facta, nullius esse momenti [ait:] si modò, cum animum maritus vendendi non haberet, idcirco venditionem commentus sit, ut donaret. Enimvero si cum animum vendendi haberet, ex pretio ei remisit: venditionem quidem valere, remissionem autem haecenus non valere, quatenus locupletior facta est. itaque si res quindecim, venit quinque, nunc autem sit decem: quinque tantum praestanda sunt: quia in hoc locupletior videtur facta. ¶ Si donationis causa vir vel uxor servitute non utatur: puto amitti servitutem, verum post diuortium codici posse. ¶ Si uxor vel maritus exceptione quadam donationis causa summoueri voluerint: facta à iudice absolutione, valebit quidem sententia: sed condicetur ei, cui donatum est. ¶ Concessa donatio est sepulturae causa. nam sepulturae causa locum marito ab uxore, vel contra posse donari, constat: & si quidem intulerit, faciet locum religiosum. Hoc autem ex eo evenit, quod definiri solet: eam demum donationem impediri solere, quae & donatam pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorē. porro hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicavit. nec moueat quinquā, quod emeret, nisi à marito accepisset. nam & si pauperior ea fieret, nisi maritus dedisset: non tamē idcirco sit locupletior, quod non expendit. hoc & illud suadet: [&] si uxori maritus sepulturae causa donaverit: ita demum locum fieri intelligi mulieris, cum corpus humatur. ceterum antè, quàm sit religiosus: donantis ma-

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. I.

net. proinde & si distraxerit mulier: manet locus donato-
ris. Secundum hæc si vxori suæ monumentum purum mar-
ritus magni precij donauerit. valebit donatio: sic tamē, vt
cū sit religiosus, valeat. sed si ipsa fuerit illò illata: li-
cet morte eius finitum est matrimonium: fauorabiliter ta-
men dicetur, locum religiosum fieri. ¶ Proinde & si ma-
ritus ad oblationem dei vxori donauit: vel locum, in quo
opus publicum, quod promiserat, faceret, vel vt eadē publi-
cā dedicaret: fiet locus sacer. Sed & si quid ei det, vt donū
deo detur, vel cōsecratur: dubiū non est, quin debeat va-
lere. Quare & si oleū pro ea in æde sacra posuerit, valet
donatio. ¶ Si maritus heres institutus repudiat heredita-
tē donationis causā: Iulianus scripsit lib. decimo septimo
Digestorū, donationē valere. neq; enim pauperiorē fieri,
qui non acquirat, sed qui de patrimonio suo deposuerit.
Repudiatio autē mariti mulieri prodest, si vel substituta
mulier sit, vel etiā ab intestato hæres futura. Simili modo
& si legatum repudiet, placet nobis valere donationē: si
mulier substituta sit in legato, vel etiam si proponas eam
hæredem institutam. ¶ Si quis rogatus sit, præcepta certa
quātitate, vxori suæ hereditatē restituere, & is sine dedu-
ctione restituerit: Celsus lib. decimo Digest. scripsit, ma-
gis pleniorē officio præstandæ fidei functum maritum, q̄
donasse videri. & rectam rationem huic sententiæ Celsus
adiecit. quod pleriq; magis fidē exsoluunt in hūc casum,
quā donant: nec de suo putant proficisci, quod de alie-
no plenius restituunt, voluntatem defuncti secuti. nec im-
merito. sepe[enim] credimus aliquid defunctum voluisse,
& tamē non rogasse. quæ sententia habet rationē: [&] ma-
gis in eo, qui non erat deducta quarta restituere rogatus,
& tamen integram fidem præstat, omisso senatusconsulti
commodo. hic enim verē fidem exsoluit, voluntatem te-
statoris secutus. Hoc ita, si non per errorem calculi fecit.
¶ Cæterum indebiti fideicommissi esse repetitionem, nul-
la dubitatio est: Cum igitur nihil de bonis erogatur: rectē

* *Floren.* dicitur valere donationem. Vbi cumque igitur non demi-
& *vulga.* nit de facultatibus suis, qui donauit*: vel etiam si demi-
donauit, nuat, locupletior tamen nō fit, qui accepit: donatio valet.
valet. Donatio reuocatur, quatenus mulier est facta locupletior: &
an sit

an sit locupletior, inspicitur tempus litis contestata. Baldus.

¶ Marcellus libro septimo Digestorum quærit. si mulier à marito acceptam pecuniā in sportulas pro cognato suo ordini erogauerit: an donatio valeat? & ait valere, nec videri locupletiores mulierem factam: quamuis mutuā pecuniam esset acceptura, & pro adfine erogatura. ¶ In donationibus autem iure ciuili impeditis, hæcenus reuocatur donum ab eo, [ab] eā, cui donatum est: vt si quidem exstet res, vindicetur: si consumpta sit, condicatur hæcenus, quatenus locupletior quis eorum factus est.

VI. GAIUS lib. XI. ad edictum prouinciale.

Quia quod ex non concessa donatione retinetur: id aut sine causā, aut ex iniusta causā retineri intelligitur: ex quibus causis conditio nasci solet.

VII. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

Quod autem spectatur tempus, an locupletiores sint facti: vtrum tempus litis contestatæ, an rei iudicatæ? ¶ Et verū est litis contestatæ tempus spectari oportere: idque Imperator noster cum patre rescripsit.

Donatio quæ mulierem locupletiores non reddit, non reuocatur: & non dicitur locupletior, si tantundem de suo erogauerit. Bald.

¶ Si maritus pecuniam vxori in vnguenta dederit, eaq; eā creditori suo soluerit, mox ea de sua pecunia emerit vnguenta: non videri locupletiorē factam, Marcellus libro septimo Digestorū scribit. Idēq; ait. & si lancem ob eādē causā ei dederit, eaq; lancem retinuerit, de sua autē pecunia vnguenta emerit: vindicationē cessare: quia non sit locupletior, quæ tantundem in re mortua impenderit. ¶ Si vir & vxor quina inuicem sibi donauerint, & maritus seruauerit, vxor cōsumpserit: rectē placuit compensationē fieri donationum. & hoc diuus Hadrianus constituit.

Inter virum & vxorem habet locum donatio, si inuicem compensauerint. Baldus.

¶ Idemque ait, & si vir vxori pecuniam donauerit, ipsaque ex ea pecunia prædium comparauerit: æstimari oportere, in quantum locupletior facta sit mulier. proinde & si prædia hodie vilissima sunt: consequenter dicemus, litis contestatæ tempore æstimationē eorum spectandam. Planē si magni precij prædia sunt: summa tantū numerata erit restituenda.

restituenda.

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

restituenda, non etiā vsuræ precij. ¶ Eleganter tractabitur si mulier prædia quindecim emerit, & maritus non totum præciū numerauerit, sed duas partes precij, hoc est decem, vxor de suo quinq; deinde hæc prædia valeant nunc decem: maritus quantum consequetur. & magis est, vt consequi debeat duas partes decem: vt quod perierit ex precio, vtriq; perierit, & marito, & vxori. ¶ Si maritus æstimationem rerum, quas in dote accepit, dicat se donationis causa auxisse: remedium monstrauit Imperator noster cū diuo patre suo rescripto, cuius verba hæc sunt. Cū donationis causa præciū auctum adfirmes: qui super ea re cogniturus erit, si pecuniæ modum recusabis, ipsa prædia restitui debere, sumptum deductis rationibus, arbitrabitur. Igitur in arbitrio mariti erit, quid præstitum malit. Idem iuris est, & si è contrario mulier de minore æstimatione queratur: nec aliud in cōmodato æstimatione dato obseruari solet, vt Póponius libro quarto variarum lectionum scribit. ¶ Si vxor à marito suo prædia, quæ ob dotem pignori acceperat, emerit, eaq; emptio donationis causa facta dicatur: nullius esse momenti, pignoris tamen obligatione durare, Imperator noster cū patre suo rescripsit, cuius rescripti verba ideo retuli, vt appareat venditione inter virum & vxorem bona fide gestam, nō retractari. Si tibi maritus pignora, propter dotem & pecuniam creditā data, non donationis causa vēdidit: quod bona fide gestū est, manebit ratum. At si titulus donationi quæsitus ostendatur, atq; ideo venditionem irritam esse constabit: iure publico causam pignorum integram obtinebis. ¶ Si vxor rem emit, & maritus precium pro ea numerauit: interdum dicendum est, totum à muliere repetendum, quasi locupletior ex ea in solidum facta sit: vt puta si emit quidem mulier rem, & debeat pecuniam, maritus autem à venditore eam liberauit. quid enim interest, creditori soluat, an venditori. ¶ Vxori quis donauit seruum, ita vt eum intra annum manumitteret. an si mulier non obtemperet voluntati, constitutio diui Marci imponat ei libertatem, si vir vel viuit, vel etiā diem suum obiit? Et ait Papinianus. cum Sabini sententiā sit recepta, qui putat, tūc fieri seruum eius, cui donaretur, cū libertas ceperit imponi: ideoq; nec si velit

* Floren.
qui

velit mulier, post exactum tempus possit manumittere: re-
 et dici, non esse constitutioni locum, nec voluntatem ma-
 xiti posse constitutioni locum facere, cū proprium seruū
 ipse possit manumittere. quę sententia mihi quoq; proba-
 tur: quia venditor siue donator non sibi legem volunt im-
 ponere, nec possunt*: sed ei, qui accepit, dominio igitur
 penes se remanente, nequaquā effectum habebit constitutio.

* *Floren.*
& vulga.
*vult im-
 po-
 ni, nec pōt*

*In iis quę retro non trahuntur, non inspicitur tempus contra-
 ctus, sed existentis conditionis. Bar.*

¶ Manumissionis causā donatio facta valet: [&] licet non
 hoc agatur, vt statim ad libertatem, sed quandoque perdu-
 catur. proinde si, vt post certum tempus manumittat, vxor
 suę tradidit: tunc demum eius fiet, cū tempore impleto
 manumittere cœperit. quare antea manumittendo nihil
 agit. Nam & illud sciendum est: si vxori quis suę donaue-
 rit, vt intra annum manumittat, deinde non manumise-
 rit ea intra annum: postea manumittendo nihil agi.

*Cū aliquid est sciendum ab aliquo sub nomine appellatio ipsius,
 non potest fieri, postquam appellatiuum nomen competere desit.*

VIII. CAIVS lib. x. i. ad edictum provinciale.

SI ante, quā seruus manumittatur, morte, aut diuor-
 tio solutum fuerit matrimonium, resoluitur donatio.
 inesse enim conditio donationi videtur, vt manente ma-
 trimonio manumittatur.

IX. VLPIANVS lib. xxxii. ad Sabinum.

SI eum vxori maritus donet, qui eius erat conditionis,
 ne vnquam ad libertatem perducī possit: dicendum
 est, omnino nihil agi hac donatione. ¶ Si pecunia accep-
 ta mulier manumiserit, vel operas ei imposuerit: ait Lu-
 lianus, operas quidem licito iure eam imposituram, &
 tenere obligationem: nec videri mulierem ex re viri lo-
 cupletiorē fieri, cū eas libertus promittat. Quod si pec-
 cium ob manumissionem acceperit mulier, & sic manu-
 miserit: siquidem ex peculio suo dedit: nummos mariti
 manere, si verō alius pro eo dedit: fieri nummos mulieris.
 quę sententia rectē se habet. ¶ Inter virum & vxorem
 mortis causā donationes receptę sunt.

X. CAIVS lib. x. i. ad edictum provinciale.

QVia in hoc tempus excurrit donationis cūctus, quo
 vir

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

vir & vxor esse desinunt.

XI. VLP. IANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

Sed tunc demum, cum mors insecuta est. medio igitur tempore dominium apud eum remanet, qui donauit. Sed quod dicitur, mortis causa donationem inter virum & vxorem valere: ita verum est, ut non solum ea donatio valeat secundum Iulianum, quæ hoc animo fit, ut tunc [demum] res fiant vxoris, vel mariti, cum mors insequetur, sed omnis mortis causa donatio. Quando itaque non retro agitur donatio: emergunt vicia, ut Marcellus animaduertit in specie huiusmodi. Maritus vxori mortis causa donatum voluit: interposuit mulier filium familiæ, qui à marito acciperet, eiq; traderet: deinde cum moritur maritus, pater familiæ inuenitur. * an valeat traditio? & ait consequens esse dici traditionem valere: quia sui iuris effectus sit eo tempore, ad quod traditio redigitur, id est, cum maritus moriebatur. Idem ait, placuisse scio Sabinianis, si filius familiæ vxori maritus tradiderit: donationem eius cum omni suo emolumento fieri, si viuus adhuc marito sui iuris effectus fuerit. quod & Iulianus libro decimo septimo Digestorum probat. Proinde & si vxor marito filio familiæ mortis causa tradat, & is sui iuris effectus sit: sine dubio dicemus, ipsius fieri. Per contrarium quoque, si vxor donauerit mortis causa patri familiæ marito, & mortis eius tempore filius familiæ inueniatur: patri erit nunc emolumentum quaesitum. Consequenter Scævola apud Marcellum notat, si interposuerit seruum mulier, ut ei tradatur mortis causa, isq; adhuc seruus dederit mulieri, deinde mortis tempore liber inueniatur: tantumdem esse dicendum. Idem Marcellus tractat, si is, qui interpositus est, postquam dederit mulieri, decesserit viuus adhuc donationem evanescere: quia debebat aliquo momento interposito [eius] fieri, & sic ad mulierem transire. Quod ita procedit, si ea, cui donabatur, eum interposuit, non is, qui donabat. Porro si à marito est interpositus: res * ipsius statim facta est. & si ante mortem mariti tradiderit, & decesserit: traditio eius egit aliquid, ut tamen hæc traditio pendeat, donec mors sequatur. Si vxor rem Titio dedit,

* Flo. inuenit.

* Flo. & res.

rit, vt is marito mortis causa traderet: eaque defuncta, inuitis heredibus eius, Titius marito dederit: interest, vtrum à muliere sit interpositus Titius, an verò à marito, cui donabatur. si à muliere interpositus est: obligabit se cōdictione, si marito tradiderit. si autem à marito sit interpositus: mortua muliere confestim fundus efficietur eius, quem maritus interposuit, & actionem ipse maritus cum eo habebit. ¶ Si vxor rem, quam acceperat à marito suo mortis causa, viuo eo alij tradiderit: nihil agitur ea traditione: quia non ante vltimum vitæ tempus mulieris fuit. ¶ Planè in quibus casibus placet retroagi donationem: etiam sequens traditio à muliere facta in pendenti habebitur. ¶ Si maritus vxori donauerit mortis causa, eaque diuerterit: an dissoluatur donatio? Iulianus scripsit, infirmari donationem, nec eam in pendenti esse. * Idem ait, si diuortij causa facta sit donatio, valere.

* Flo. in-
pendere.

XII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Quæ tamen sub ipso diuortij tempore, nō quæ ex cogitatione quandoque futuri diuortij fiat.

XIII. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

Sed si mors sit infecuta: non videri factas res mulieris: quia donatio in alium casum facta est. Proinde & si mortis causa vxori donauit, & deportationem passus est: an donatio valeat, videamus. Et aliàs placet in casum deportationis donationem factam valere, quemadmodum in causam diuortij. cum igitur deportatione matrimonium minimè dissoluitur, & nihil vicij mulier incurrat: humanum est: donationem, quæ mortis causa ab initio facta est, tali exilio subsecuto confirmari, tanquam si mortuo marito rata habeatur. * ita tamen, vt non adimatur licentia marito eam reuocare: quia & mors eius expectanda est: vt tunc plenissimam habeat firmitatem, quando ab hac luce fuerit subtractus [sive] reuersus, siue adhuc in pœna constitutus. ¶ Cum quis acceperit, vt in suo ædificet: condici ei id non potest: quia magis ei donari videtur. quæ sententia Neratij quoque fuit: ait enim. datū ad villam extruendam, vel agrum serendum, quod alioquin facturus non erat is, qui accepit: in specie donationis cadere. ergo inter virum & vxorem hæ erunt interdictæ.

* Flo. vi-
tium mulie-
ris.

* Flo. ha-
beatur.

XIIII.

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. I.

XIIII. PAVLVS lib. LXXI. *ad edictum.*

QUod si vir vxori, cuius aedes incendio consumptae sunt, ad refectionem earum pecuniā donauerit: valet donatio in tātum, in quantum aedificij exstructio postulat.

¶ Si a percepta ab vxore ex pecunia per virū sibi donata, sunt ipsius vxoris, adeo quod si pars capitalis sit perdita, & alia pars propter vsuras sit duplicata, debet reddi viro illa pars capitalis, quae durat: quod dictum est in vsuris, idem est in fructibus rei donatae. Baldus.

XV. VLPPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*

EX annuo vel menstruo, quod vxori maritus praestat, tunc quod superest, reuocabitur: si satis immodicum sit, id est supra vires dotis. ¶ Si maritus vxori donauerit pecuniam, eaque vsuras ex donata pecunia perceperit: lucrabitur. haec ita Iulianus in marito libro octauodecimo Digestorum scribit.

XVI. TRIPHONINVS lib. X. *Disputationum.*

QUid ergo, si ex centum, quae vir vxori donauit, quinquaginta apud debitorem ex his perierint, & alia quinquaginta duplicata pro vsuris vxor habeat? non plus quinquaginta, eius donationis nomine, maritus ab ea consequetur.

XVII. VLPPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*

DE fructibus quoque videamus: si ex fructibus praediorū, quae donata sunt, locupletata sit: an in causam donationis cadant. Et Iulianus significat, fructus quoque, vt vsuras, licitam habere donationem. Sed si quid seruus donatus adquisit: ad eum, qui donauit, pertinebit.

XVIII. POMPONIVS lib. IIII. *ex variis lectionibus.*

SI vir vxoris, aut vxor viri seruus, aut vestimentis vsus, vel vsa fuerit: vel in aedibus eius gratis habitauerit: valet donatio.

XIX. VLPPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*

SI vxor filio donauerit seruū, qui in patris mariti sit potestate, deinde is seruus ancillam accipiat: dominium mulieri quaritur. nec interesse Iulianus ait, ex cuius pecunia ancilla empta sit: quia nec ex re sua quidquam adquiri potest per eum, qui donatur, ei cui donatur. hoc enim bo-

na fi-

ne fidei possessoribus concessum esse: virum autem scientem alienum possidere. Idem quaerit. si ex re mariti ea ancilla comparata fuerit: an aduersus mulierem agentem de dote maritus precium possit per exceptionem retineri? Et dicendum est, posse maritum & exceptionem habere, si dos ab eo petatur, secundum Marcelli sententiam: & si soluerit, secundum Iulianum, posse condicere.

XX. TABOLENVS lib. XI. ἐπιστολῶν.

Sis seruus, qui vxori mortis causa donatus est, prius quam vir decederet, stipulatus est: in pendenti puto esse causam obligationis, donec vir aut moriatur, aut suspitione mortis, quam propter donauit, liberetur. quidquid autem eorum inciderit, quod donatione aut perimat, aut confirmet: id quoque causam stipulationis aut confirmabit, aut resoluet.

vestigal sua vxoris solutum & expensa facta per virum pro vxore sua intercedente cum viro causa viri non repetuntur ab vxore. Baldus.

XXI. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

Solet, soluisse: an quasi locupletiore ea facta, exactio fiat, an vero nulla sit donatio? & magis puto, non interdictum hoc: maxime, si ipsius causa profecta est. nam & Papinianus libro quarto Responsorum scripsit: vesturas vxoris & ministeriorum eius, virum itineris sui causa datas, repetere non posse. iter autem videtur fuisse viri causa, & cum vxor ad virum perueniat. nec interesse, an aliquid de vesturis in contrahendo matrimonio conuenerit. non enim donat, qui necessariis oneribus succurrit. Ergo & si consensu mariti profecta est mulier propter suas necessarias causas, & aliquid maritus expensarum nomine ei praestitit, hoc reuocandum non est. ¶ Si vxor viro dotem promissit, & dotis vfuras: sine dubio dicendum est, vfuras peti posse: quia non est ista donatio, cum pro oneribus matrimonij petantur. Quid tamen si maritus vxori petitionem earum remisit? eadem erit quaestio, an donatio sit illicita. Et Iulianus hoc diceret, quod verum est. Plane si conuenerat, ut se mulier pasceret, suosque homines: & idcirco passus est eam dote sua frui, ut se suosque aleret: expeditum

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

expeditum erit. puto enim non posse ab ea peti, quasi do-
**Flo. & natum, quod compensandum* est.*

*vulg. com. Donatio causa mortis censetur reuocata per aliam dispositio-
 penjandū. nem postea de re factam: secus si antea facta sit. Bartolus.*

XXII. IDEM lib. III. ad Sabinum.

VXori suæ quis mortis causa seruum donauit, eum-
 que [postea] cum libertate hæredem scripsit. an va-
 leat institutio, queritur. Et puto, si hoc animo eum scripsit
 hæredem, quod donationis se dixit penituisse: valere in-
 stitutionem, & necessarium heredem domino seruum fieri.
 Cæterum si postea, quam hæredem instituit, donauit: do-
 natio præualebit. vel si antè donauit, non tamen animo
 adimendi libertatem adscripsit.

*Donatio inter virum & uxorem que fit simplici promissione,
 non confirmatur morte. Bartolus.*

XXIII. IDEM lib. VI. ad Sabinum.

PApinianus rectè putabat, oratione diui Seueri ad re-
 rum donationem pertinere. denique si stipulanti vxor-
 i suæ spopondisset: non putabat conueniri posse hæredem
 mariti, licet durante voluntate maritus decesserit.

*Donatio inter virum & uxorem præstat iustam causam vsuca-
 piendi ante contractum matrimonium, & prodest soluto vel con-
 stante. Bartolus.*

XXIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI inter extraneos facta sit donatio, & antè, quam per
 tempus legitimum dominium fuerit acquisitum, coe-
 rint: vel contrà, si inter virum & uxorem facta sit donatio,
 & ante impletum tempus supradictum solutum sit matri-
 monium: nihilominus procedere temporis suffragiū con-
 stat: quia altero modo sine vicio tradita est possessio, al-
 tero quod fuit viciū, amotum est.

XXV. TERENCE. CLEMENS. lib. V. ad leg. Iul. & Pap.

SEd & si cōstante matrimonio res aliena vxori à marito
 donata fuerit: dicendum est, cōfestim ad vsucapionem
 eius uxorem admitti: quia & si non mortis causa donare-
 tur ei, nō impediretur vsucapio. nam ius constitutū ad eas
 donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, &
 pauperior maritus in suis rebus fit. itaq; licet mortis causa
 donatio interueniat: quasi inter extraneas personas fieri
 intelligenda

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

ueris: hoc solum petendū, quāti emptus sit, qui superest.
 ¶ Iulianū putasse Pomponius refert. si quid per eum seru-
 um, quem [emerat] ex nummis à marito donatis mulier,
 adquisisset (forte legatum, hæreditatem) aut [cū] partus
 editus esset: eo quoque nomine petitionem faciendam esse.
 ¶ Illud constat: si antequam à viro annuū acciperet mu-
 lier, ipsa de suo, aut etiā mutuata impendit: videri iam tan-
 tum ex annuo consumptum. ¶ Illud rectè dictum Celsus
 ait, si dotis vsuras annuas vxor stipulata sit: licet ei nō de-
 beantur, quia tamen quasi de annuo conuenerit, peti qui-
 dem dotis iudicio non possunt, cōpensari autem possunt.
 idem ergo dicemus in qualibet pactione annui nomine
 facta.

XXIX. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

Si mulier ex pecunia donata emptum seruū vēdidit-
 set, & alium emisset: posteriorem periculo mulieris es-
 se, Fulcinius scripsit. quod non est verū, licet nō ex re ma-
 riti emptus sit. ¶ Si vir vxori lanam donauit, & ex ea lana
 vestimenta sibi confecit: vxoris esse vestimēta, Labeo ait.

XXX. GAIVS lib. XI. ad edictum Prouinciale.

Vtilem tamen viro competere.

XXXI. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

Sed si vir lana sua vestimentū mulieri confecerit: quā-
 tis id vxori confectū fuerit, & vxoris cura, tamen viri
 esse: neque impedire, quod in ea re vxor tanquam lanipē-
 dia fuerit, & viri negotium procurarit. ¶ Si vxor lana sua
 operis ancillarū viri vestimēta sui nomine cōfecit mulie-
 bria: & vestimenta mulieris esse, & pro operis ancillarum
 viro prestare nihil debere. sed viri nomine vestimēta cō-
 facta virilia, viri esse: vt is lanæ vxori precium prestet. Sed
 si nō virilia (vestimenta suo nomine) mulier cōfecit, sed
 ea viro donauit: non valere donationem, quamuis * illa

* Flo. &

vulg. cum.

valeat, cū viri nomine confecit. nec vnquam operas an-
 cillarum viri æstimari conuenit. ¶ Si vir vxori aream do-
 nauerit, & vxor in ea insulam ædificauerit: ea insula sine
 dubio mariti est, sed eius * impensam mulierē seruaturam
 placet. Nam si maritus vindicet insulam, retentionem im-
 pensæ mulierē facturam. ¶ Si duo mancipia fuerint singu-
 la quinis digna, sed vtrumque vnus quinque donationis
 causa

* Flo. &

vulg. eam.

De donationibus inter virum & vxorem. 620

caussa à viro mulieri, vel contrà venierit: melius dicitur, cōmunia ea esse pro portione precij: nec tantum ^{*Flo. t. 2.} spectā- dem vulg. nationis causa sit remissum. sine dubio [enim] licet à viro ^{tamen.} vel vxore minoris emere, si non sit animus donandi.

Pro specificatis competit viro contra vxorem utilis actio: sed si vir ex sua lana vestimenta vxori consecerit: censetur etiam vestimenta viri. Bartolus.

¶ Si vir vxori, vel contrà, quid vendiderit vero precio, & donationis causa paciscantur, ne quid venditor ob eā re præstet: videndum est, quid de ea venditione agatur: vtrū res venierit, & totum negotium valeat: an verò, vt ea sola pactio irrita sit, quemadmodum irrita esset, si post contractam emptionem nouo consilio inito, id pacti fuisset actum. Et verius est, pactum dumtaxat irritum esse. Idem dicemus, si donationis causa pacti sint, ne fugitiuū aut eronem præstet, id est, integras esse actiones ædilitias, & ex empto. ¶ Quod vir vxori in diē debet, sine metu donationis præsens soluere potest: quamvis commodum téporis retenta pecunia sentire potuerit. ¶ Quod legaturus mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es: potes rogatus à me vxori meæ relinquere, & non videbitur ea esse donatio: quia nihil ex bonis meis deminuitur. in quo maxime maiores donati succurrisse Proculus ait, ne amore alterius alter despoliaretur: [nēve quasi inter maliuolos, alter] ^{*Flo. & vulg. non} cupletior fieret. ¶ Si vir vxori munus immodicum kalendis Martiis, aut natali die dedisset: donatio est. sed si im- ^{quasi ma-} pēsas, quas faceret mulier, quò honestius se tueretur: cō- ^{liuolos, ne} trā est. ¶ Non videtur facta esse mulier locupletior, si aut ^{alter &c.} in obsonio, aut in vnguētis, aut in cibariis familiæ donatam sibi pecuniam impenderit. ¶ Quæ vir cibaria vxoris [suæ] familiæ iumentisve præstitit, quæ in vsu communi erant, non condicentur. Quod si familiam domesticā vxoris aut venaliciam paut: contrā puto obseruari debere.

Donatio inter coniuges morte donatoris supersite donatario cōfirmatur. Bartolus.

XXXII. VLP IANVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

Cum hic status esset donationum inter virum & vxorem, quem antea retulimus: Imperator noster Anto-

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

ninus Augustus ante excessum diui Seueri patris sui, oratione in senatu habita, auctor fuit senatui cēfendi, Fulvio Aemiliano & Numio Albino consulibus, vt aliquid laxaret ex rigore iuris. Oratio autem de confirmandis donationibus Imperatoris nostri, non solum ad ea pertinet, quæ nomine vxoris à viro comparata sunt, sed ad omnes donationes inter virum & vxorem factas: vt & ipso iure res fiant eius, cui donatæ sunt, & obligatio sit civilis. sed de Falcidia, vbi possit habere locum, tractandum est. cui locū ita fore opinor, quasi sit testamento cōfirmatū, quod donatū est. ¶ *Aut oratio. FAS ESSE EVM QVIDEM, QVI DONAVIT, POENITERE: HAEREDEM VERO ERIPERE FORSITAN ADVERSUS VOLUNTATEM SUPREMAM EIVS, QVI DONAVIT, DURVM ET AVARVM ESSE.* Pœnitentiā accipere debemus supremā. Proinde si vxori donauit, deinde eū pœnituit, mox desistit pœnitere: dicendum est, donationē valere: vt supremum eius spectemus iudicium, quemadmodum circa fideicommissa solemus, vel in legatis, cum de doli exceptione opposita tractamus: vt ambulatoria sit voluntas eius vsque ad vitæ supremū exitum. sed vbi semel donatorem pœnituit: etiā haredi reuocandi potestatem tribuimus, si appareat defunctū euidenter reuocasse voluntatē. quod si in obscuro sit: proliuior esse debet iudex ad comprobendam donationem.

Si vir obligat rem, quam vxori donauit, reuocatur donatio: nisi non habuerit animum reuocandi: quæ aliās valet vbi non habuit animum reuocandi. Baldus.

¶ Si maritus ea, quæ donauit, pignori dederit: vtique eum pœnituisse dicemus, licet dominium retinuit. Quid tamē, si hoc animo fuit, vt vellet adhuc donatū? si in possessionem precariam mulierē remāsisse, paratamque esse satisfacere creditori. dicendum est, donationē valere. Nam si ab initio ei rem obligatam hoc animo donasset: dicemus vim habere donationem, vt parata satisfacere mulier, haberet doli exceptionem. quinimmò & si satisfecisset: potuisse eam per doli exceptionem consequi, vt sibi mandarentur actiones.

Si coniunx donator vel donatarius efficiatur seruus, donatio existit.

*Flo. & vulg. dicere rem.

extinguitur. Baldus.

¶ Si donator seruus fuerit effectus priuati: dicendum est, non implerem, sed peremptam donationem: quamuis seruitus morti comparetur. Proinde & si ipsa in seruitutem redigatur, cui donatum est, extincta erit donatio. ¶ Si maritus vxori donauerit, & mortem sibi ob sceleris cōscientiam cōsciuerit, vel etiam post mortē memoria eius damnata sit: reuocabitur donatio: quamuis ea, quæ aliis donauerit, valeant: si nō mortis causa donauit. ¶ Si miles vxori donauerit de castrislibus bonis, & fuerit damnatus: quia permissum est ei de his testari (si modò impetrauit, vt testetur, cum damnetur) donatio valebit. nam & mortis causa donare poterit, cui testari permissum est. ¶ Quod ait oratio *CONSUMPSSIS*, sic accipere debemus: nō is, qui donationem accepit, locupletior factus sit. ceterum si factus est: [&] orationis beneficium locum habebit. Sed & si non sit factus locupletior, dederit tamen tantam quantitatem, eaque exstet: dicendum est, si is decesserit, qui factus est locupletior: posse repetere id, quod dedit, nec cōpensari id, quod consumpsit: quamuis diuortio secuto, hic compensatio locum habeat.

Donatio facta inter coniuges reuocatur facto diuortio mortis donatarii interuentu: sed licet diuortiu fiat (si tamen matrimoniu restauratur) donatore postea moriente, reconvalescit, donatio. Bal.

¶ Si diuortium post donationem intercessit, aut prior decessit, qui donum accepit: veteri iuri statur, hoc est, si maritus vxori donatū vult, [vt] valeat *donatio. quod si non **ul. va-* vult: extingatur. Plerique enim cum bona gratia discedunt, plerique cū ira animi sui & offensa. Quid ergo, si diuortium factum est: deinde matrimonium restauratur: & in diuortio, vel mutata voluntas est, vel eadem durauit, restauratum tamen matrimonium, & voluntas donatoris reconciliata: an donatio duret, si constante matrimonio donator decesserit? & potest defendi valere. Quid si diuortium non intercesserit, sed frigusculum? **Fl. fri-* profecto va-
lebit donatio, si frigusculum **busculum.* quieuit. ¶ Si mulier & maritus diu seorsum habitauerint, sed honorem inuicē matrimonio habeant, quod scimus interdum & inter cōsulares personas subsecutum: puto donationes non valere, quasi

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. I.

† *Vxor e.* durauerint nuptiæ. † non enim coitus matrimonii facit, *nim digni* sed maritalis affectio. si tamē donator prior decesserit: tūc *tatis nomē* donatio valebit. ¶ Si ambo ab hostibus capti sunt, & qui *est nō vo-* donauit, & cui donatū est: quid dicemus? Et prius illud *vo-* *luptat.* ut lo tractare. Oratio, si antē mors cōtigerit ei, cui donatum *ait. Aelius* est, nullius momēti donationem esse voluit. ergo si ambo *Verus Im-* decesserint, naufragio fortē, vel ruina, vel incendio, quid *perator a-* dicemus? & siquidem possit apparere, quis ante spiritū po- *puḍ Spar-* fuerit: expedita est quæstio. si verō non appareat: difficilis *tianū,* & est quæstio. & magis puto donationē valuisse, & id * ver- *Plutarch⁹* bis orationis defendimus. ait enim oratio, SI PRIOR *in prace-* VITA DECESSERIT, QVI DONATVM ACCE- *ptis cōnu-* PIT. non videtur autem prior vita decessisse, qui dona- *bialibus:* tum accepit, cū simul decesserint. proinde rectissimē di- *Nō ego te* cetur, vtrasq; donationes valere, si fortē inuicē donatio- *eadē vti,* nibus factis simul decesserint: quia neuter alteri superui- *& coniu-* xit. licet de cōmorientibus oratio nō senferit: sed cū neu- *ge, & ami* ter alteri superuixerit, donationes mutua valebunt. nā & *ca possum.* circa mortis causa donationes mutuas id erat cōsequens ** Flo. &* dicere, neutri dandam * conditionem. locupletes igitur *his ex ver-* hæredes donationibus relinquuntur. * Secundum hæc si *bis.* ambo ab hostibus simul capti sint, amboq; ibi decesserint: ** Flo. da-* an simul vtrinque * captiuitatis tempus spectemus, * vt do- *tam.* nationes dicamus valere, quasi simul decesserint: an neu- ** Flo. re-* tras, quia viuus eis finitum est matrimonii: an spectamus, *linquent.* vter prior decesserit, vt in eius persona nō valeat dona- ** Flo. non* tio: an vter redierit, vt [in] eius valeat? (Mea tamē fert opi- *simul virū* nio, vbi non reuertuntur: vt tempus spectandū sit captiui- *que.* tatis, quasi tunc defecerint. quod si alter redierit: eum [so- ** spectam⁹* lum] videri superuixisse, quia rediit. Qui quasdam res ex *his,* quas donauerat, legasset, quasdam non: non videbitur *cæteras* noluisse ad vxorem pertinere. plerumque enim *antea* legat, postea donat: vel alia causa fuit legandi.

Donatio facta inter coniuges, morte donatoris confirmatur: ita donatio facta inter quasunque personas, inter quas matrimonium est prohibitum. Baldus.

¶ Oratio non solum virum & vxorem complectitur, sed etia cæteros, qui propter matrimonium donare prohibetur: vt puta donat socer nurui, vel cōtrā: vel socer generi, vel

vel cōtra: vel cōsocer consocero, qui copulatos matrimonio in potestate habent. nam ex mēte orationis his quoq; omnibus permissum est in eundem casum donare: & ita & Papinianus libro quarto Respōsorū sentit: sic enim scribit. Socer nurui vel genero donauit. postea filius eius vel filia constante matrimonio vita decessit. quanquam viciū donationis perseueret: tamē si socer nullam quæstionē donationibus intulit, post mortem eius cōtra hæredes orationis sententia videtur interuenire. nam quæ ratio donationem prohibuit, eadem beneficium ratū * *Flo. Co* implorauit. Vt igitur valeat donatio ista, Papinianus exigit, vt & filius eius, qui donauit, antē decesserit: & postea socer, durāte voluntate. ¶ Si filius familiās, qui castrense peculium habet, vel quasi castrense, vxori donet: personam filij & mortem spectabimus. ¶ Si nurus socero donauerit: mortem nurus, & perseuerantem in supremam diem voluntatem spectare nos oportet. quod si socer antē decesserit: dicemus extintā donationē? an quia maritus viuit, si vxori suæ superuixit, admittimus vim habere donationē? vt siquidem maritus solus socero hæres exstitit: quasi noua donatio in maritum collata, seruari potest: vt illa finita sit, alia cōperit. sin vero filius hæres patri nō est: finita erit donatio, ratione noua. ¶ Si socer nurui nunciū miserit, donatio erit irrita: quamuis matrimoniū, concordantibus viro & vxore, secundum rescriptum Imperatoris nostri cum patre comprobatum est. sed quod ad ipsos, inter quos donatio facta est, [pertinet:] finitum est matrimoniū. Proinde & si duo consoceri inuicē [sibi] donauerint, idē erit dicendum. si inuitis filiis nuncium remiserint: inter ipsos irritā esse donationē. ¶ In hac autē donatione inter soceros facta, mors consideranda * est eius, qui donauit, constāte matrimonio, & iure potestatis durāte. Idēque & in his, qui sunt in eorum potestate. ¶ Si consocer consocero donauerit, & alter eorum, vel vterque copulatos emancipauerit: debet dici, donationem ad orationem non pertinere, & ideo infirmari donationem. ¶ Si sponsus sponsæ donauerit, in tempus matrimoniij collata donatione: quamuis inter virum & vxorem donatio non videtur facta, & verba orationis minus sufficiant: tamen donationem dicendum est ad sententiam

* *Flo. Co*
vul. datū.

* *Flo. Co*
vul. de si-
deranda.

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

tiam orationis pertinere: vt si durauerit voluntas vsque ad mortem, valeat donatio. ¶ Siue autem res fuit, quæ donata est, siue obligatio remissa: potest dici donationem effectum habituram. vt puta vxori acceptum tulit donationis causa, quod debebat: potest dici pendere acceptilationem non ipsam, sed effectum eius. & generaliter, vniuersæ donationes, quas impediri diximus, ex oratione valebunt. ¶ Si inter virum & vxorem societas donationis causa contracta sit: iure vulgato nulla est. [sed] nec post decretum senatus, emolumentum ea liberalitas, vt actio pro socio constituatur, habere poterit. quæ tamen in commune tenuerunt: præstituto sine reuocanda non sunt. Idcirco igitur actio pro socio non erit: quia nulla societas est, quæ donationis causa interponitur, nec inter cæteros: & propter hoc nec inter virum & vxorem. Idem erit dicendum, & si emptio contracta sit donationis causa, nam nulla erit. Planè si minoris res venierit donationis causa, vel postea precium sit remissum: admittemus donationem valere ad senatusconsultum. ¶ Si quis sponsam habuit, deinde eandem vxorem duxerit, cum nõ liceret: an donationes, quasi in sponsalibus factæ, valeant: videamus. Et Iulianus tractat hanc quæstionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mariti immatura sit deducta. ait enim, hanc sponsam esse, & si vxor non sit. Sed est verius, quod Labeoni videtur, & à nobis, & à Papiniano libro decimo Quæstionum probatum est: vt siquidem præcesserint sponsalia, durent: quamuis iam vxorem esse putet, qui duxit. si verò non præcesserint: neque sponsalia esse, quoniã non fuerunt: neque nuptias, quod nuptiæ esse non potuerunt. Ideoque si sponsalia antecesserint: valet donatio. si minus: nulla est: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem fecit, & ideo nec oratio locum habebit. ¶ Sed si senator libertinam desponderit, vel tutor pupillam, vel quis alius ex his, qui matrimonium copulare prohibentur, & duxerit: an donatio, quasi in sponsalibus facta, valeat? & putem etiam sponsalia improbanda: & quasi ab indignis ea, quæ donata sunt, ablata fisco vindicari.

Siue vir vxori, siue vxor viro aliquid annuum promiserit: talis donatio ab initio non valet: sed morte donatoris confirmatur. Bald.

XXXIII. IDEM lib. XXXVI. ad Sabinum.

Si stipulata fuerit mulier annum dari: id ex stipulatu petere, constare matrimonio, nō potest. Sed si manēte matrimonio decessisse maritus proponatur: puto, quia in annuo quoque donatio vertitur, posse dici donationē * cō **Flo. sti- pulationē.* firmari ex senatusconsulto. ¶ Si vxor marito annum ver-
sa vice præstiterit: restituetur ei hoc, & poterit vindicare id, quod exstat. credo poterit & condicere, in quantum locupletior factus est: quia nō tam solenne est annuū, quod maritus vxori pendit: & quod vxor marito præstat. immo incongruens est, & contra sexus naturam. Et si fortē maritus ab vxore stipulatus sit id annum, decesseritque mulier, constante matrimonio: dicendum erit, ex oratione donationem conualescere.

Valet donatio, quam vxor facit viro vt filiam dotet. Bartolus.

XXXIII. IDEM lib. XLIII. ad Sabinum.

Sue vxor marito res donasset, isq; eas in dotem pro cōmuni filia dedisset: siue post donationem, quam in maritum contulit, vxor passa est eum pro filia in dotē dare: benigne potest dici, & si prima donatio nullius momēti est, attamen ex sequenti consensu valere dotis dationem.

XXXV. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

Si non secundum legitimam obseruationem diuortium factum sit: donationes post tale diuortiū factæ, nullius momenti sunt, cū non videatur solutum matrimonium.

Qui soluit litis æstimationē, debet causam dicere, si causam habuit ab vxore. Bartolus.

XXXVI. PAVLVS lib. XXXV. ad edictum.

Si donatæ res exstant, etiam vindicari poterūt. sed quia causam possidēdi donatio præstitit: nisi reddatur res, æstimatio facienda est iusto precio: cauerique possidenti de euictione simpli, quanti ea res sit. idque etiam Pedio videtur. ¶ [Si] sponſus alienum annulum sponsæ muneris misit, & post nuptias pro eo suum dedit: quidam (vt Nerua) putant fieri eum mulieris: quia tunc factam donationem confirmare videtur, nō inchoare nouā. quam sententiam veram esse accepi.

XXXVII. IULIANVS lib. XVII. Digestorum.

Si mulier dolo fecerit, ne res exstaret sibi à marito donata:

nata:

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. I.

nata: vel ad exhibendum, vel damni iniuriæ cum ea agi poterit: [&] maxime si post diuortium id commiserit.

Pro parte quam habet vir in re, non valet donatio inter coniunctas personas: præsentia tamen cum taciturnitate donationem inducit. Bartolus.

XXXVIII. ALFENVS lib. III. Digesto. à Paulo epitoma.

Si seruus communis viri & fratris eius puerum donauit uxori fratris, pro qua parte is seruus, qui donasset, viri esset: pro ea parte munus non esse factum mulieris, respondit. Idem iuris erit, si ex tribus fratribus vnus uxorem haberet, & rem communē uxori donasset. nam ex tertia parte mulieris res facta non est: ex duabus autem partibus reliquis (si id scissent fratres, aut postea, quā donata esset, ratum habuissent) non debere mulierem reddere.

Debitor delegatus potest apponere exceptionem delegationis inuálidæ: si tamen ignoranter commiserit, liberatur. Bartolus.

XXXIX. IULIANVS lib. V. ex Minicio.

Vir cum uxori pecuniam donare vellet, permisit ei, ut à debitore suo stipularetur. illa cum id fecisset, priusquam pecuniam tulisset, diuortium fecit. Quæro, utrum vir eam summā petere debeat: an [ex] ea promissione propter donationis causam actio nulla sit? Respondi, inanem fuisse eam stipulationem. sed si promissor mulieri ignorans soluiisset: siquidem pecunia exstat: vindicari eam debitor potest. sed si actiones suas marito præstare parat⁹ est: doli mali exceptione se tuebitur. idēq; maritus hanc pecuniā, debitoris nomine vindicādo, consequetur. sed si pecunia non exstat, & mulier locupletior facta est: maritus eam petet. intelligitur enī ex re mariti locupletior facta esse mulier: quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

XI. VLPIANVS lib. II. Responsorum.

Quod adipiscendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatū est: eatenus ratum est, quatenus dignitati supplendæ opus est.

XII. LICINNIVS RVFINVS lib. VI. Regularum.

Nam & imperator Antoninus constituit, ut ad processus viri uxor ei donare possit.

N XLII. CAIVS lib. XI. ad edictum provinciale.
Vper ex indulgentia principis Antonini recepta est alia

De donationibus inter virum & vxorem. 624

alia causa donationis, quam dicimus honoris causa: ut ecc si vxor viro lati clauis petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.

XLII. PAVLVS lib. singulari Regularum.

Inter virum & vxorem exilij causa donatio fieri potest. *Uscapiens videtur habere rem ex titulo precedenti non a domino, contra quem usucapit. Bartolus.*

* In hunc locum Alex. ab Alex. lib. 4. gen. dierum cap. 11.

XLIII. NERATIVS lib. V. Membranarum.

Si extraneus rem viri, ignorans eius esse, ignoranti vxori, ac ne viro quidem sciente eam suam esse, donauerit: mulier recte eam usucapiet. Idemque iuris erit: si is, qui in potestate viri erat, credens se patremfamilias esse, vxori patris donauerit. Sed si vir rescierit suam rem esse, prius quam vsu capiatur, vindicareque eam poterit, nec volet, & hoc & mulier nouerit: interrumpetur possessio: quia transit in causam ab eo facta donationis, ipsius mulieris scientia. propius[autem] est, ut nullum acquisitioni dominij eius adferat impedimentum. non enim omnimodo vxores ex bonis virorum, sed ex causa donationis ab ipsis factis adquirere prohibita sunt.

Ex qualitate expensarum presumitur, an animo repetendi fecerit quis an non. hoc dicit quod nota: quia tota die allegatur. Bartolus.

XLV. VLPIANVS lib. XVII. ad edictum.

Marcellus libro septimo Digestorum scribit, eum etiam detrahare sine mulieris dano, & citra metum senatusconsulti, quod detrahentibus negociationis causa occurrit.

XLVI. IDEM lib. LXXII. ad edictum.

Inter virum & vxorem nec possessionis causa donatio est.

XLVII. CELSVS lib. I. Digestorum.

Verum negocium vxoris gerens, an officio mariti ductus, in rem eius impenderit viri facti, non iuris quaestio est. [sed] coniectura eius rei ex modo & genere impense non difficilis est.

XLVIII. IDEM lib. IX. Digestorum.

Quae iam nuptae maritus donauit, viri manent, & potest ea vindicare: nec quidquam refert, quod ampla legata ab vxore ei relicta sunt.

Nulius minister dicitur, qui nullum commodum sentit: alius non dicitur

Pars IIIL. Digestorum lib. XXIIIL. Tit. I.

dicitur quis nudus minister. Bartolus.

XLIX. MARCELLVS lib. VII. Digestorum.

* Floren.
idem si.

SVlpitius Marcello. mulier, quæ ad communem filium volebat, qui in potestate patris erat, post mortem patris fundum peruenire: eum patri tradidit, vt post mortem restitueretur filio. Quæro, an donatio tibi videatur, vt nihil agatur: an valeat quidem, sed mulieri potestas detur, si voluerit, eum petere? Respondit. si color vel titulus (vt sic dixerim) donationi quesitus est, nihil valebit traditio: id est*, si hoc egit vxor, vt aliquid ex ea re interim commodi sentiret maritus, alioquin si solo eius ministerio vsa est, & id egit, vt vel reuocare sibi liceret: vel vt res cum omni emolumento per patrem, postea ad filium transiret: cur non idem perinde sit ratum, ac si cum extraneo tale negotium contraxisset, hoc est, [si] extraneo in hac causam tradidisset.

Eoisso quis est locupletior, quod ab obligatione est liberatus, non autem eo ipso quod sibi pecunia datur, nisi ex ea pecunia appareat aliquid apud eum remansisse.

L. IABOLENVS lib. XIII. ἐπισὸλῶν.

SI cum mulier viginti seruū emisset, in eam emptione vir quinque venditori dedit: diuortio facto, omnimodo vir eam summam exiget: neque ad rem pertinet, an is seruus deterior factus sit. nam & si mortuus esset, quinque exactio ei cōpereretur. ¶ Queritur enim, an mulier ex viri patrimonio locupletior sit eo tempore, quo de dote agebatur. facta autē intelligitur, quæ ære alieno suo interuentu viri liberata est, quod potuisset adhuc debere, si vir pecuniam non soluisset. neque enim interest, ex qua causa mulier pecuniam debuit: vtrum creditam, an eam, quæ ex emptione prestare debebat. Quod si mulier non emerat seruum, sed vt emeret, à viro pecuniam accepit: tunc vel mortuo, vel deteriore facto seruo, damnum ad virum pertinebit: quia quod aliter emptura nō fuit, nisi pecuniā à viro accepisset, hoc consumptum ei perit, qui donauit: si modo in rerū natura esse desit. nec[enim] videtur mulier locupletior esse, quæ neque à creditore suo liberata est, neque id possidet, quod ex pecunia viri emerat.

Quicquid mulier querit, presumitur quæsiuisse ex bonis viri. B.

LI. POMPONIVS lib. V. ad Q. Mutium.

Quintus

Quintus Mutius ait. cum in controuersiam venit, unde ad mulierem quid peruenit: & verius, & honestius est, quod non demonstrat, unde habeat: existimari à viro, aut qui in potestate eius esset, ad eam peruenisse. euitandi autem turpis quæstus gratia, circa vxorem hoc videtur Quintus Mutius probasse.

LII. PAPINIANVS lib. x. *Questionum.*

Si vir vxori donationis causa rem vilius locauerit, locatio nulla est: cum autem depositum inter eas personas minoris donationis causa æstimatur, depositum est. hoc ideo tam varie: quia locatio quidem sine certa mercede contrahi non potest, depositum autem & citra estimationem quoque dari potest.

Donatio causa mortis extinguitur morte donatarii donatore superueniente. Bartolus.

Vxor viro fructum fundi ab hærede suo dari: quod si datus non fuisset, certam pecuniam mortis causa promitti curauit. defuncto viro, viua muliere, stipulatio soluitur, vt traditio, quæ mandante vxore mortis causa facta est. nam quo casu inter externos conditio nascitur, inter maritos nihil agitur.

LIII. IDEM lib. III. *Responsorum.*

Mortis sue causa genero vel nurui socerum frustra donare conuenit: quia mortuo socero nuptiæ non soluuntur. nec interest, an pater filium vel filiam exhæredauerit. diuortij species eadem ratione diuersa est. **R**es in dotem æstimatas, consentiente viro, mulier in usu habuit. usu deteriores [res] si fiant: damni compensatio non admittitur: [cum] easdem res non possit mulier sibi quasi donatas defendere, ex illis verbis, quibus donationes ei à viro legatæ sunt: cum eiusmodi species neque donari, neque auferri videntur.

LIIII. IDEM lib. VIII. *Responsorum.*

Vir vsuras promissæ dotis in stipulatum deduxerat, easque non petierat. cum per omne tempus matrimonio sumptibus suis vxorem & eius familiam vir exhiberet: dote prælegata, sed & donationibus verbis fideicommissi confirmatis, legato quidem dotis vsuras non contineri videbatur: sed titulo donationis [esse] remissas.

R. s.

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. I.

Res empta ex pecunia mulieris donata viro vindicari potest. Bartolus.
 LV. PAVLVS lib. VI. *Questionum.*

VXOR marito suo pecuniam donauit. maritus ex pecunia sibi donata, aut rem mobilem, aut soli comparauit. soluendo non est, & res exstant. Quæro, si mulier reuocet donationem, an vtiliter conditione experiatur? videtur enim maritus, quâuis soluendo non sit, ex donatione locupletior effectus, cum pecunia mulieris res comparata exstet. Respondi. locupletiores esse ex donatione, negari non potest. non enim querimus, quid deducto ex alieno liberum habeat: sed quid ex re mulieris possideat.

* *Floren.* solo enim hoc * separatur ab eo res, cui donata est. q. si *
 & *vulga.* res mulieris permanet: & vindicare directio potest: & erit
hic. deterior causa viri, si ea pecunia, quatenus res valet (non

* *Floren.* vt ultra id tamen, quod donatum est, condicatur) quam si
 quod *ibi.* dotis iudicio conueniatur. Sed nihil prohibet, etiam in re

* *Floren.* vtilen mulieri in ipsas res actionem dari.*

& *vulga.* LVI. SCAEVOLA lib. III. *Questionum.*

accommodari. **S**I quod mihi mortis causa donare [quis] vellet, ego pure uxori donare velim: non valet, quod uxori iubeo dari: quia illo conualecente, conditione teneor: mortuo aut, nihilominus pauperior sum. non enim habeo, quod habitus esse.

Donatio quæ potest condici, potest in stipulationem conuertri: & stipulatio potest probari per literas. Bartolus.

LVII. PAVLVS lib. VII. *Responsorum.*

EA, quæ à marito suo pecuniâ ex causa donationis acceperat, literas ad eum misit huiusmodi. Cum petenti mihi à te, domine charissime, adnuerit indulgentia tua viginti ad expediendas quasdam res meas: quæ summa mihi numerata est sub ea conditione, vt si per me, meosque mores quod steterit, quod minus in die vite nostre matrimonium permaneat: siquid inuito te discessero de domo tua, vel repudium tibi sine ulla querela misero, diuortiumque factum per me probabitur: tunc viginti, quæ mihi hac die donationis causa dare voluisti, daturam restitutura me sine ulla dilatione spodeo. Quæro, si eadem Titia marito suo repudium miserit, an pecuniam restituere debeat? Paulus respondit. pecuniam, quam vir uxori donauit, ex stipulatione proposita, si conditio eius exstiterit, peti posse: quoniam

De donationibus inter virum & vxorem. 626

ex donatione in pecuniam creditam conuersa est. quod si stipulatio commissa non probetur: tunc tantum peti posse, quanto locupletior ex ea donatione facta probetur.

Valeret donatio inter concubinam & amicum, non autem inter virum & vxorem. Bartolus.

LVIII. SCAEVOLA lib. II. Responsorum.

SI prædia & mancipia Seic data, effecta sint eius tempore concubinatus: ac postea tempore matrimonij, aliis acceptis, reddita sint: quid iuris est? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, negotium potius gestum videri, quàm donationem interuenisse. ¶ Item cum quæreretur de ciuariis mancipiorum: respondit. tempore quidem concubinatus data cibaria repeti nō possunt: sed nec tempore matrimonij, si ea mancipia vxoris in communi vsu fuerunt. ¶ Filius rebus matris interuenire solitus, pecunia matris, consentiente ipsa, mancipia & res mercatus, emptionum instrumenta suo nomine confecit. decessit in patris potestate. quaesitum est, an mater cum marito suo experiri, & qua actione uti possit? Respondit. si mater obligatum filium in ea pecunia voluit esse: intra annum, quàm filius decessit, de peculio cum patre, in cuius potestate fuisse proponatur, actionem habere. si donauit: repeti posse, quāto locupletior ex ea donatione pater factus esset.

LIX. PAVLVS lib. II. Sententiarum.

SI quis vxori ea conditione donauit, ut quod donauit, in dotem accipiat: defuncto eo, donatio conualescit.

LX. HERMOGENIANVS lib. I. iuris epitomarum.

Vitricus & priuignus inuicem sibi donare prætextu matrimonij non prohibentur. ¶ Diuortij causa donationes inter virum & vxorem concessæ sunt. sepe enim euenit, ut propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem,

LXI. CAIVS lib. XI. ad edictum prouinciale.

Vel senectutem, aut valetudinem, aut militiam satis commodè retineri matrimonium non possit.

LXII. HERMOGENIANVS lib. II.

iuris epitomarum.

ET ideo bona gratia matrimonium dissoluitur. ¶ Diuortio facto, nec instaurato matrimonio, nō confirmatur inter virum & vxorē facta donatio. [sed] nec inter patrum

trorum

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. I.

tronum & libertam (& si ab eo inuito diuertere nō licet) facta donatio separatur, cum inter hos diuortium intercedit. perinde enim id, quod donatum est, habetur diuortio intercedente, ac si donatum non fuisset.

LXIII. PAULVS lib. III. ad Neratium.

DE eo, quod vxoris in edificium viri ita coniunctum est, vt detractum alicuius vsus esse possit: dicendum
** Floren.* est, agi posse, [quāuis nulla actione] ex lege duodecim tabularum: quia decem viros non sit credibile de his sententia esse, quorum voluntate res eorum in alienum ædificium coniunctæ essent. PAULVS NOTAT. sed in hoc solum agi potest, vt sola vindictio soluta re competat mulieri, non in duplum ex lege duodecim tabularum. neq; enim furtium est, quod sciente domino inclusum est.

Donatio facta mulieri diuerfenti vt reuertatur, valet. Baldus.

LXIII. LABOLENVS lib. VI. ex posterioribus Labeonis.

VIr mulieri diuortio facto quædam idcirco dederat, vt ad se reuerneretur. mulier reuerfa erat. deinde diuortium fecerat. Labeo. Trebatius inter Terentiam & Meccenatem respondit. si verum diuortium fuisset, ratam esse donationem: si simularum, cōtrā. Sed verum est, quod Proculus & Cæcilius putant: tunc verum esse diuortium, & valere donationem diuortij causā factam, si aliæ nuptiæ insecutæ sint: aut tam longo tempore vidua fuisset, vt dubium non foret, alterum esse matrimonium. aliā nec donationem vllius esse momenti futuram.

LXV. LABEO lib. VI. posteriorum à Laboleno epitomatorū

Quod vir ei, quæ nondum viripotens nupserat, donauerit: ratum futurum existimo.

Donatio facta post matrimonium, est illa quæ infringitur. nec inspicitur an fuerit facta ante traductionem, vel post. quod locum habet in certo casu: in casu verò dubio bene inspicitur, virum fuerit facta ante traductionem vel post. Baldus.

LXVI. SCAEVOLA lib. IX. Digestorum.

SEia Sépronio, cum certa die esset nuptura, ante q̄ domum deduceretur, tabulæq; dotis signarentur, donauit tot aures. ¶ Quæro, an ea donatio rata sit: non attinuisse tēpus, an ante q̄ domum deduceretur, donatio facta esset: aut tabularum cōsignatarum, quæ plerumque & post

post contractum matrimonium fierent: inquirendo expri-
mi. Itaque nisi ante matrimonium contractum, quod de
consensu intelligitur, donatio facta esset: non valere.

¶ Virgini in hortos deductæ ante diem tertium, q̄ ibi nu-
ptiæ fierent: cum in separata diæta ab eo esset, die nuptia-
rum prius, quàm ad eum transiret, & prius quàm aqua † & † *vide ad*
ignis* acciperetur, id est, nuptiæ celebrentur: obtulit de- *hunc locū*
cem aureos dono. quæsitum est, post nuptias cōtractas di- *Alex. ab*
uortio factō, an summa donata repeti possit? Rñdit. id, qđ *Alex. lib.*
ante nuptias donatū pponeret, nō posse de dote deduci. 2. cap. 5.

In re emptā de pecunia donatā à viro vxori consistit donatio: si * *Floren.*
illa donetur ab vxore viro. Baldus.

LXVII. LABEO lib. III. τὸ ἐξ ἀπορίας à Paulo epitomatorum.

SI vxor nummis à viro, aut ab eo, qui in eius potestate
esset, sibi donatis, seruum emerit: deinde cum eius fa-
ctus esset*, eum ipsum donationis causa viro tradiderit: * *Floren.*
rata erit traditio, quamuis ea mente facta fuerit, qua cæte fuerit.
ræ donationes: neq; vlla actio eius nomine dari potest.

DE DIVORTIIS ET REPUDIIS.

Titulus II.

I. PAVLVVS lib. XXXV. ad edictum.



Irimitur matrimonium diuortio, morte, capti-
uitate, vel alia contingente seruitute alteru-
trius eorum.

II. CAIVS lib. XII. ad edictum provinciale.

DIuortium autem vel à diuersitate mentium dictū est, *1. Pla. d. i. a.*
vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt ma- *II. de leg.*
trimonium. ¶ In repudiis autem, id est, renūciatione com- *Den. c. 24*
probata sunt hæc verba, RES TVAS TIBI HABETO: *Matt. c. 5:*
item hæc, TVAS RES TIBI AGITO. In sponsalibus *¶ 19.*
quoque discutiendis placuit renunciationem interueni-
re oportere. in qua re hæc verba probata sunt, CONDI-
TIONE TVA NON VTOR. Siue autem ipsi præsen-
ti renunciatur, siue absenti per eum, qui in potestate eius
sit, cuiusve is eāve in potestate sit: nihil interest.

III. PAVLVVS lib. XXXV. ad edictum.

DIuortium non est verum, nisi quod animo perpetuā
constituendi dissensionem sit. Itaque quidquid in ca-

4 P lore

*De causis
& formu-
lis diuor-
tii Alex.*

*ab Alex.
li. 4. c. 3.
Val. Ma-
xi. li. 2. c.*

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. II.

lore iracundiæ vel sit, vel dicitur: non ratum est prius, quod si perseverantia apparuit, iudicium animi fuisse. ideoque per calorem misso repudio, si breui reuersa est vxor, nec diuertisse videtur.

III. VIPIANVS lib. xxv. ad Sabinum.

IVlianus libro octauo decimo Digestorum quærit, an furiosa repudium mittere, vel repudiari possit? Et scribit, furiosam repudiari posse: quia ignorantis loco habeatur. repudiare autem non posse, neque ipsam propter demeritiam, neque curatorem eius. patrem tamen eius nuncium mittere posse. quod non tractaret de repudio, nisi constaret, [posse & cum furiosa] retineri matrimonium. quæ sententia mihi videtur vera.

V. IDEM lib. xxxiii. ad edictum.

SI filia emancipata idcirco diuertat, vt maritum lucro dotis afficiat, patrem fraudet, qui profecticiam dotem potuit petere, si constante matrimonio decessisset: & ideo patri succurrendum est, ne dotem perdat. non enim minus patri, quam marito, succurrere prætorum oportet. danda igitur est ei dotis exactio, atque si constante matrimonio decessisset filia.

Quo ad quid dicitur quasi matrimonium: quo ad quid non. Bal.

VI. IVLIANVS lib. LXII. Digestorum.

VXores eorum, qui in hostium potestatem peruenerunt, possunt videri nuptiarum locum retinere eo solo, quod alij temerè nubere non possunt. Et generaliter definiendum est: donec certum est, maritum viuere in captiuitate constitutum: nullam habere licentiam vxores eorum ad aliud migrare matrimonium: nisi malint ipsæ mulieres causam repudij præstare. Sin autem in incerto est, an viuus apud hostes teneatur, vel morte præuentus sit: tunc si quinquennium à tempore captiuitatis excesserit, licentiam habeat mulier ad alias migrare nuptias: ita tamè, vt bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium, & vnusquisque suum ius habeat imminutum: eodem iure & in marito degente in ciuitate, & vxore captiua obseruando.

VII. PAPINIANVS lib. I. de adulteriis.

SI pœnituit eum, qui libellum diuortij tradendum dedidit, isque per ignorantiam mutata voluntatis oblatus est:

est: durare matrimonium dicendum est: nisi pœnitētia cognita, is qui accepit, ipse voluit matrimonium dissoluere. tunc enim per eum, qui accepit, soluitur matrimonium.

VIII. IDEM lib. II. de adulteriis.

DIuus Hadrianus eum, qui alienam vxorem ex itinere domum suam duxisset, & inde marito eius repudium misisset, in triennium relegauit.

Diuortium non potest fieri, nisi septem testibus adhibitis: in quorum numero libertus non numeratur. Bal.

IX. PAVLVS lib. II. de adulteriis.

Nullum diuortium ratum est, nisi septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis: præter libertum eius, qui diuortiū faciet. Et libertū accipiemus etiā eū, qui à patre, auo, proauo, & cæteris sursum versum manumissus sit.

X. MODESTINVS lib. I. Regularum.

Patrono inuito, liberta, quam in matrimonio habuit, ab eo discedere non potest: nisi ex causâ fideicommissi manumissa sit. tunc enim potest, licet eius sit liberta.

Licet lex improbet diuortium fieri inuito patrono, tamen ipsum non annullat. Et ad hoc ut diuortium inuito patrono non possit impune fieri, duo requiruntur: videlicet, quod patronus non desinat esse patronus: & quod libertam noluerit in matrimonio retinere. scilicet si talis, qualis eius voluntas in contrarium apparuerit. Bal.

XI. VLPIANVS lib. III. ad legem Iuliam & Papiam.

QUOD AIT LEX, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTAE, QUAE PATRONO NUPTA EST, NE ESTO: non infestum videtur effecisse diuortium, quod iure ciuili dissoluere solet matrimonium. Quare constare matrimonium dicere nō possumus, cum sit separatum. Denique scribit Iulianus de dote hanc actionem non habere. Merito igitur, quamdiu patronus eius eam vxorem suam esse vult, cum nullo alio cōnubiū ei est. nam quia intellexit legislator factō libertæ quasi diremptum matrimonium: detraxit ei cū alio connubium. quare cuiuscūque nupserit, pro non nupta habebitur. Iulianus quidem amplius putat: nec in concubinato eam alterius, [q] patroni esse posse. Ait lex. QUAMDIU PATRONVS EAM VXOREM ESSE VOLET, ET VELLE DEBET VXOREM ESSE, ET PATRONVS

4 P ij DVRRARE.

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

DVRARE. Si igitur aut patronus esse, aut velle desierit: finita est legis auctoritas. Illud rectissime placuit: qualiquali voluntate intelligi possit patronus, animum habere desuisse quasi in vxorem: finiri legis huius beneficium. Proinde cum patronus rerum amotarum cum eius liberta, quæ ab inuito eo diuerterat, velit experiri: Imperator noster cum diuo patre suo rescripsit, intelligi eum hoc ipso nolle nuptam sibi: quod *eam actionem vel aliam inciperet*, quæ non solet, nisi ex diuortio oriri. Quare si accusare eam adulterij cœperit, vel alio crimine postulare, quod vxori nemo obiicit: magis est, ut diremptum sit matrimonium. Etenim meminisse oportet, ideo adimi cum alio connubium, quia patronus sibi nuptam cupit. Vbi cumque igitur vel tenuis intellectus videri potest, nolis nuptam: dicendum est, iam incipere libertæ cum alio esse connubium. Proinde si patronus sibi desponderit aliam, vel destinauerit, vel matrimonium alterius appetierit: credendum est, nolle hanc nuptam. Et si concubinam sibi adhibuerit, idem erit dicendum. *

*Flo. qui
*Floren.
*vulga.
importet.

*Floren.
probatu

**SOLVTO MATRIMONIO, QVEM-
admodum dos petatur. Titulus III.**

I. POMPONIVS lib. xv. ad Sabinum.

Dotium causa semper & vbique præcipua est. nam & publicè interest, dotes mulieribus cōseruari: cum dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, *replendamque liberis ciuitatem, maxime sit necessarium.

*Pulchre
in hac sen
tentiâ Ari.
li. 2. poli.
ca. 7. Plu-
tar. in a-
popb. La-
conicis de
Lycirgo.

II. VLPIANVS lib. xxxv. ad Sabinum.

Soluto matrimonio solui dos mulieri debet: nec cogitur maritus alij eam ab initio stipulanti promittere, nisi hoc ei nihil noceat. nam si incommodum aliquod maritus suspectum habet: non debere eum cogi alij, quàm vxori promittere, dicendum est. hæc, si sui iuris mulier est. Quod si in patris potestate est, & dos ab eo profecta sit: ipsius & filia dos est. Denique pater non aliter, quàm ex voluntate filia, petere dotem, nec per se, nec per procuratorem potest. sic ergo & promittendum Sabinus ait: ei ergo promittendum erit, cui uterque iusserit. Caterum si pater

Soluto matrimonio, quemadmodū dos pet. 629

pater solus iussit: dotis actio filiae non erit adempta, quandoque* sui iuris filia fuerit facta. Item si voluntate solius filiae permittatur: remanebit dotis actio integra patri. Sed utrum ut & agat solus, an & ut adiuncta quoque filiae persona experiri possit? Et puto, nec eam actionem amisam, quam adiuncta filiae persona potest habere. quod si sui iuris fuerit facta filia: nocebit ei ista stipulatio.

Filia sane mentis si est praesens, & non contradicit, habetur pro consentiente. Idem si propter furorem contradicere non poterat: secus si erat absens: quoniam tunc non habetur pro consentiente nec dissentiente: & ideo cum cautione rati tunc admittitur pater. *Al.* Voluntatem autem filiae, cum pater agit de dote, utrum sic accipimus, ut consentiat: an verò, ne contradicat filia? & est ab imperatore Antonino rescriptum: filiam, nisi evidenter contradicat, videri consentire patri. Et Iulianus libro quadragesimo octavo Digestorum scripsit, quasi ex voluntate filiae videri experiri patrem, si furiosam filiam habeat. nam ubi non potest per dementia cōtradicere, consentire quis eam merito credet? Sed si absens filia sit: dicendum erit, non ex voluntate eius id factum: cauendumque à patre, ratam rem filiam habituram. Vbi enim sapit, scire eam exigimus, ut videatur non contradicere.

In dote quae est communis patri & filiae, solutio spontanea facta uni sine consensu alterius non liberat solvete ab alio, nisi pecunia sit conuersa in utilitatem alterius directò vel per indirectum. *Alexa.*

III. PAVLYS lib. VII. ad Sabinum.

Non solum autem in exigenda, sed etiam in soluenda dote, quae communis est & patri & filiae, utriusque voluntas exquiritur: nec alter alterius conditionem deteriorem facere potest. Sed si pecunia ad patrem peruenit, quam filia accepit: actio de dote utriusque tolletur.

III. POMPONIUS lib. XV. ad Sabinum.

Si pater sine consensu filiae dotem à viro exegisset, & eandem alij viro eiusdem filiae nomine dedisset, & mortuo patre filia cum priore viro agat: doli mali exceptione repellitur.

Ubi praecedit matrimonium, & sequitur traditio dotis, ex die traditionis dotis tempus computatur ad discernendum pro quota parte fructus ad virum pertineant, & pro quota ad uxorem solu-

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. I I.

to matrimonio. Alex.

V. VLP IANVS lib. xxx. ad Sabinum.

DE diuisione anni eius, quo diuortium factum est: quæritur, ex die[contracti] matrimonij, an ex die traditi marito fundi maritus sibi computet tempus? & utique in fructibus à viro retinendis, neque dies constitutæ dotis, neq; nuptiarum obseruabitur: sed quo primum dotale prædium constitutum est, id est, tradita possessione.

Si præcedat traditio nomine dotis: & sequantur nuptiæ: ad cognoscendum pro qua rata temporis fructus spectant ad virum, inspicitur dies nuptiarum. & ideo fructus ante percepti, mulieri restituendi sunt. Alex.

VI. PAVLVS. lib. VII. ad Sabinum.

SI ante nuptias fundus traditus est: ex die nuptiarum, ad eundem diem sequentis anni, computandus annus est. idem in cæteris annis seruatur, donec diuortium fiat. nam si ante nuptias traditus sit, & fructus inde percepti: hi restituenti sunt quandoque diuortio facto, quasi dotis facti.

De fructibus diuidendis inter maritum & uxorem debent ante omnia deduci impensæ factæ gratia ipsorum fructuum siue per uxorem, siue per maritum, siue per utrumque factæ sint. & hoc siue matrimonium durauerit minus anno, siue pluribus annis: & residuum fructuum diuidi debet. Alex.

VII. VLP IANVS lib. xxxv. ad Sabinum.

FRUCTUS eos esse constat, qui deducta impensæ supererunt. quod Scæuola, & ad mariti, & ad mulieris impensas refert. nam si mulier pridie vindemias doti dedit, mox sublati à marito vindemiis diuertit: non putat ei vnde eim dumtaxat mensium fructus restitui, sed & impensas, quæ antè, quàm portiones fructuum fiant, deducendæ sunt. Igitur si & maritus aliquid impendit in eundem annum, utriusque impensæ concurrent: & ita (si impensarum à muliere factarum ratio habeatur) cum plurimis annis in matrimonio fuit, necesse est, primi anni tempore computari, quod sit ante datum prædium.

Si fundus plenus fructibus datur in dotem, tempus locationis inspicitur ut sciamus quid percipitur de pensione, id est pro quâto tempore percipitur pensio. Tempus verò matrimonij inspicitur, ut sciamus pro quâto parte anni de pensione vir lucratur. sed si fundus
vacuus

vacuus datur in dotem, tempus locationis pro nullo inspicitur. Bar.

¶ Papinianus autem libro undecimo Quaestionum, diuortio facto fructus diuidi ait, non ex die locationis, sed habita ratione præcedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit. neque enim si vindemiæ tempore fundus in dotem datus sit, eumque vir ex kalendis nouembribus primis fructum locauerit: mensis ianuarius suprema die facto diuortio, retinere virum, & vindemiæ fructus, & eius anni, quo diuortium factum est, quartam partem mercedis, æquum est. alioquin si coactis vindemiis, altera die diuortium intercedat: fructus integros retinebit. itaque si [in] fine mensis ianuarius diuortium fiat, & quatuor mensibus matrimonium steterit: vindemiæ fructus, & quarta portio mercedis instantis anni contundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio viro relinquatur. ¶ Econtrario quoque idem obseruandum est. nam si mulier percepta vindemia statim fundum viro in dotem dederit, & vir ex kalendis martiis eundem locauerit, & kalendis aprilibus primis diuortium secutum fuerit: non solum partem duodecimam mercedis, sed pro modo temporis omnium mensium, quo dotale prædium fuit, ex mercede, quæ debebatur, portionem retinebit. ¶ Item si messes eius anni, quo diuortium factum est, colonum ex forma locationis sequatur: ante vindemiam soluto matrimonio, nihilominus pecunia messium in computationem cum spe futuræ vindemiæ veniet. apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit, antequam nuberet, non debere in contributionem venire. ¶ Ob donationes, item ob res amotas, ex his fructibus, qui post diuortium percepti sunt, compensationes fieri possunt. ¶ Quod in anno dicitur, potest dici & in sex mensibus, si bis in anno fructus capiatur: ut est in locis irriguis. [sed] & in pluribus annis idem dici potest, ut in sylua cædua.

* In hunc locum Plinius nat. hist. lib. 6. cap. 17. & lib. 17. ca. 18. & lib. 18. ca. 22.

Item si locatio agri talis sit, ut super annuam mercedem quinquennio quoque aliquid amplius præstaretur. in eo enim, quod amplius est, tempus ad quinquennium computamus. ¶ Non solum autem de fundo, sed etiam de pecore idem dicemus, ut lana ouium, fœtusque pecorum præstetur. quare enim, si maritus prope partum oves doti acceperit, item proximas tonsuræ: post partum, & tonsas oves

Pars II. Digestorum lib. XXII. Tit. III.

protinus diuortio facto, nihil reddat? Nam & hic fructus toto tempore, quo curantur, non quo percipiuntur, rationem accipere debemus. In seruo quoque anni ratio habetur: si in annum fortè operæ eius locatæ sint, vt præteriti temporis ad maritum: post diuortium autè, ad mulierem operæ pertineant. de pensionibus quoque prædiorum vrbano- rum idem est, quod in fructibus rusticorum. ¶ Si fundum viro vxor in dotem dederit, isque inde arbores deciderit: si hæ fructus intelliguntur, pro portione anni debent restitui. Puto autè, si arbores cæduæ fuerint, vel cre-

† al. gre- miales.

Flo.

† dici oportet in fructum cedere. si minus, quasi deteriorẽ fundũ fecerit, maritus tenebitur. Sed & si vi tēpestatis ceciderint: dici oportet, precium earum restituẽdum mulieri, nec in fructum cedere: non magis, quàm si thesaurus fuerit inuentus. Non enim in fructu computabitur, sed pars eius dimidia restituetur, quasi in alieno inuenti. ¶ Si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas mar-

* Nonnulli moreas inuenerit, & fundum fructuosiorẽ fecerit: maritus, quod cæsum, neque exportatũ est, mariti est, & im- mō cēsent. pensa nõ est * ei præstanda: quia nec in fructu est in marmor: mariti nõ nisi talis * sit, vt lapis ibi renascatur, quales tñ in Gallia sunt est, & in- & in Asia. Sed si cretiferodina, [vel] argentiferodina: vel auri, pensa est vel cuius alterius materiæ sint, vel harenæ: vtique in fructu ei c. ¶ Ita habebuntur. ¶ Interdum marito de fructibus à mulie-

* Flo. & re cauetur, & nihil retinet, si fructibus stantibus, fundus tale. dum mulier recipiet: interdum retinebit tantum maritus, ¶ In hunc & nihil restituet: id est, si non plus erit, quàm pro portio- locũ Pli- ne cum retinere oportet: interdũ verò reddet, si plus per- nius li. 33. cepit, quàm eum retinere oportet. eadem cõditio erit, & si nato. hñ. cum socero, vel cum hærede alterutrius de dote agatur.

cap. 4. A. Impendia facta gratia quærendorum fructuum, de fructibus de- lexan. abducuntur. cetera necessaria & vtilia repetuntur. Bartolus.

Alex. hb. ¶ Impendia autem fructuum percipiendorum causa Pom- 5. cenia. ponius ait, quod in arado serendoq; agro impensum est: dierũ. ca. quodque in tutelam ædificiorum: ægrumve seruũ curan- 9. dum: scilicet si ex ædificio, vel seruo fructus aliqui perci-

* Flo. pe- piebantur. sed hæ impensæ non repetuntur, * cum maritus fructũ totius * anni retinet: quia ex fructibus prius impen- tentur. sis satisfaciendum est. Planè si nouam villam necessariò

* totum.

extruxit,

extruxit, vel veterem totā sine culpa sua collapsam restituit: erit eius impensæ petitio. simili modo & si pastina instituit. hæ enim impensæ, aut in res necessarias, aut in vtililes cedunt, pariuntque marito actionem.

Commodum lapidinarum existentium in re dotali, pertinet ad maritum, nisi aliud actum sit. Bartolus.

VIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.*

SI fundus in dotem datus sit, in quo lapis cæditur: lapidinarum commodum ad maritum pertinere constat: quia palam, sit eo animo dedisse mulierem fundum, ut iste fructus ad maritum pertineat: nisi si contrariam voluntatē in dote danda declarauerit mulier. Quod in sementem erogatur, si nō responderint messes, ex vindemia deducetur: quia totius anni vnus fructus est.

Mora mulieris in non recipiendo fundum dotalem, facit maritum teneri de dolo dumtaxat, & de fructibus quos percepit. Bartolus, & Alexan.

IX. POMPONIVS lib. XIII. ad Sabinum.

SI mora per mulierem fuit, quō minus dotem recipere: dolum malum dumtaxat in ea re, nō etiam culpam maritus præstare debet: ne factio mulieris in perpetuum agrum eius colere cogatur. fructus tamē, qui peruenissent ad virum, redduntur.

Actio de dote profectitia consolidatur in patrem si filia fingatur decessisse in patris potestate, licet vere nō esset tēpore mortis. Alex.

X. IDEM lib. XV. ad Sabinum.

SI ab hostibus capta filia, quæ nupta erat, & dotem à patre profectā habebat, ibi decessit: puto dicendū, perinde omnia obseruanda, ac si nupta decessisset: ut etiam si in potestate patris non fuerit, dos ab eo profecta reuerti ad eum debeāt. Si vir uxorem suam occiderit: dotis actionem hæredibus vxoris dandam esse, Proculus ait & rectē. non enim æquum est virum ob facinus suū dotem sperare lucri facere. idemque & e contrario statuendum est.

Mulieri repetenti dotem & fructus, non potest opponi exceptio quod res in dotem data sit aliena. Alex.

XI. IDEM lib. XVI. ad Sabinum.

SI alienam rem sciens mulier in dotem dederit: reddenda ei est quasi suā dedisset, & fructus quoque pro portione

*Hæc epigraphæ in Pand. semicirculis superne includitur quæ nota deletionis est.

tionē

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

tionem anni, quo diuortium factum est.

Maritus habet beneficium ut non condemnatur, nisi in quantum facere potest: quod ad heredem non porrigitur, licet ad defensores sic. Alex. post Bartolum.

XII. VIPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

*Flo. exploratum est.

Maritus in id, quod facere potest, condemnari, explorati iuris* est: sed hoc heredi [extraneo] non esse praestandum.

XIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Quia tale beneficium personale est, & cum persona extinguitur.

XIIII. VIPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

Alia causa est defensoris: quem placet sufficienter videri defendisse, si tantum uxori praestet, quantum consequeretur, si ipsum maritum conuenisset. ¶ Eleganter querit Pomponius libro decimo quinto ex Sabino: si paciscatur maritus, ne in id, quod facere possit, condemnatur, sed in solidum: an hoc pactum seruandum sit? & negat seruari oportere: quod quidem & mihi verum videtur. namque contra bonos mores id pactum esse, melius est dicere: quippe cum contra receptam reuerentiam, quae maritis exhibenda est, id esse appareat.

†Huc pertinet Ari. econo. lib. 2. ca. 1. & Plutar. de precep. conubia.

XV. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Rei iudicatae tempus spectatur, quatenus maritus facere potest. ¶ Heredi mariti, licet in solidum condemnatur, compensationes tamen, quae ad pecuniariam causam respiciunt, proderunt, ut hoc minus sit obligatus: veluti ob res donatas, & amotas, & impensas. morum vero coercitionem non habet. ¶ Socero quoque, cum quo nurus de dote agit, idem honor habetur: ut in id daretur, quod facere potest.

†Hinc socerū eius genero lauare veteres.

XVI. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

Quia parentis locum socer obtinet. †

XVII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Ex diuerso, si socer ex promissione à marito conueniatur: solet quaeri, an idem honor ei habendus sit? Nera se credit: tunc libris Membranarum & Proculus scribunt, hoc iustum ruit Vale. esse. ¶ Item si mulier ex promissione conueniatur: magis Maxi. lib. 2. cap. 1. placuit, defendendam eam per exceptionem (idem & Proculus ait) sicuti [enim] cum socia fuerit, [sic] dabitur ei exceptio:

exceptio: quamvis iure civili sit obligata.

Exceptio quæ non impugnat sententiam, potest opponi post sententiam. Bar. & Alex.

¶ Si in iudicio dotis iudex ignorantia iuris lapsus, condemnauerit maritum in solidum: Neratius [&] Sabinus doli exceptione eum uti oportere aiunt, eaque tutum fore.

XVIII. POMPONIVS lib. xv. ad Sabinum.

Etiam filios mulieris, qui patri hæredes exstiterunt, in id quod facere possunt, cõdemnãdos Labeo ait. ¶ Licet in dotalibus rebus non solum dolum, sed & culpam maritus præstet: cum tamen quæritur: in iudicio de dote, an facere possit, dolum dumtaxat comprehenditur: quia in rerum ipsius administratione non erat culpa ab eo exigenda. Quanquam eum dumtaxat dolum ei nocere putem (si facere non possit) quem propter uxorem adhibuit, ne ei solidum solueret, non propter quemlibet aliũ: Oñius autem aiebat, si dolo mariti res dotales interiiissent, & alioquin soluendo non esset: quamvis nihil dolo fecisset, quò minus soluendo esset: perinde tamen eum damnandum eius rei dotalis nomine, in qua dolum fecisset, atque si dolo eius factum esset, quò minus facere possit. cæterum si circa interitum rei dotalis dolum malus & culpa mariti absit: actiones solas, quas eo nomine quasi maritus haberet, præstandas mulieri, veluti furti, vel damni iniuriæ.

Si pendente iudicio expirat ius agentis, expirat iudicium. Alex.

XIX. VLPPIANVS lib. xxxv. ad Sabinum.

Si mulier diuerterit, & iudicio de dote contestato, reversa fuerit in matrimonium: redintegrato matrimonio expirat iudicium, & omnia manent in statu pristino.

Si mulieri constante matrimonio dos soluitur ex iusta causa, vel etiam maritus nomine mulieris in causas iustas expendit, eatenus actio de dote perimitur. Alexan.

XX. PAVLVS lib. vii. ad Sabinum.

Quamvis mulier nõ in hoc accipiat constante matrimonio dotem, ut æs alienum soluat, aut prædia idonea emat: sed ut liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus, aut parentibus confuleret, vel ut eos ex hostibus redimeret: ¶ (quia iusta & honesta causa est) non videtur male accipere, & ideo rectè ei soluitur, idque & in fi-

† Iuxta
hanc senten-

Pars IIII. Digestorum lib. XXIII. Tit. III.

in M. Ci. in filiafamilias obseruatur.

et eo eos re

XXI. VLPIANVS lib. III. Disputationum.

Sed & si ideo maritus ex dote expedit: vt à latronibus
redimeret necessarias mulieri personas, vel vt mulier
qui suis fa vinculis vindicet de necessariis suis aliquem: reputatur ei
cultatib⁹, id, quod expensum est: siue pars dotis sit, pro ea parte: siue
aut captos tota dos sit, actio dotis euanesceat. & multo magis idem di-
à pradoni cendum est, si focer agat de dote, debere rationem ha-
bus redi- beri eius, quod in ipsum impensum est: siue ipse maritus
munt, aut hoc fecit, siue filia, vt faceret, dedit. sed & si non pater ex-
as alian⁹ periretur, sed post mortem eius filia sola de dote ageret:
suscipiunt idem erit dicendum. cum enim doli exceptio insit de dote
amicorum actioni, vt in ceteris bonæ fidei iudiciis: potest dici (vt &
caussa, aut Celso videtur) inesse hunc sumptum actioni de dote: ma-
in filiarū ximè, si ex voluntate filia factus sit.

collocatio-
ne adiu-
uant.

XXII. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

Si cum dotem daret pater, vel extraneus, pro muliere
in vnum casum pepigit, vel in diuertium, vel in mor-
tem: dicendum est, in eum casum, in quem non pepigit, es-
se mulieri actionem. ¶ Si post solum matrimonium fi-
liafamilias citra patris voluntatem exactam communem
dotem consumat: patri, & viua ea, & mortua, actio super-
est, vt dos ipsi soluatur. [quod ita verum est, si perdituræ
soluatur.] Cæterum si nō perdituræ, & ex iustis causis so-
luta sit: non supererit actio. sed mortuo patre, nec etiā hæ-
redes agent, nec mulier. ¶ Si mulier, soluto matrimonio,
egentem reum dotis per nouationem decepta accipiat: ni-
hilominus actio dotis ei manebit.

Pater qui sine voluntate filia dotem exegit, eam heredem insti-
tuendo, vel eidem legando, intelligitur fecisse animo compensandi
cum dote exacta. Alexand.

¶ Si pater filia absente de dote egerit, & si omissa sit de ra-
to satisfactio, filia denegari debet actio: siue patri hæres
exstiterit, siue in legato tantū acceperit, quantū doti satis
esset. & ita Iulianus pluribus locis scribit, compensandum
ei in dotem quod à patre datur: lucrūque eius cedit, si tā-
tum ab eo consecuta sit, quantum ei dotis nomine debeba-
tur à marito, qui patri soluit. ¶ Si patri propter condem-
nationem Romæ, vbi dos petatur, esse non liceat: filia
satis

satis dotis * fieri oportet : ita tamen, vt caueat ratam rem ** scilicet patrem habiturum. nomine.*

Ante litem cōtestatā potest filia mutare voluntatē. Itē ex causā quandoque datur actio filia, & patri denegatur, vel e contra. Bar.
 ¶ Eo autem tempore consentire filiam patri oportet, quo lis contestatur. secundum hæc si filia dicat se patri consentire, & antelitis contestationem mutauerit voluntatē, vel etiam emancipata sit : frustra pater agat. ¶ Nec non illud quoque probamus, quod Labeo probat: nonnunquā patri denegandā actionē, si tam turpis persona patris sit, vt vrendum sit, ne acceptam dotem cōsumat. ideoque officiū iudicis interponendum est, quatenus & filia, & patri competenter cōsultatur. Sed si latet filia, ne tali patri cōsentire cogatur: puto dari quidem patri actionem, sed causā cognita. quid enim, si filia verecundē per absentiam patri cōtradicat? cur non dicamus, patri non esse dandam actionem? Quod si is pater sit, cui omnimodo consentire filiam deceat, hoc est vitæ probatæ: filia levis mulier, vel admodum iuuenis, vel nimia circa maritum non merentem: dicendum est, patri potius adquiescere prætorem oportere, darēque ei actionem.

Furiosus non potest coniugem repudiare, nec ipse potest ex hac causa repudiari: nisi furor sit intolerabilis. Bartolus.

¶ Si maritus vel vxor constante matrimonio furere cceperit: quid faciendum sit tractemus. Et illud quidem dubio procul obseruatur: eam personam, quæ furore detenta est (quia sensum non habet) nuncium remittere nō posse. an autem illa repudianda sit, considerandum est. & siquidem interuallum furor habet, vel perpetuus quidem morbus est, ferendus tamen his, qui circa eam sunt: tunc nullo modo oportet dirimi matrimonium: sciente ea persona, quæ cum compos mentis esset, ita furenti (quemadmodū diximus) nunciū miserit, culpa sua nuptias esse dirēptas. quid enim tam humanū est, * quā vt fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorē viri participem esse? ¶ Sin autē tantus furor est, ita ferox, ita perniciosus, vt sanitatis nulla spes supersit, [ita] circa ministros terribilis: & forsità altera persona vel propter sæuitiam furoris, vel quia liberos non habet, procreandæ sobolis cupidine tenta est: licentia erit

compoti

** In hanc
 sententiam
 vale. Ma-
 xi. li. 4. c.
 6. de amo.
 coniuga.*

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

compoti mentis personæ furenti nuncium mittere, vt nū-
lius culpa videatur esse matrimonium dissolutum, neque
in damnum alterutra pars incidat.

*Maritus cogitur uxorem furiosam alimentare, & alia necessa-
ria impendere. & si dotem dissipat, dos sequestrabitur. Bartolus.*

¶ Sin autē in fœuissimo furore muliere cōstituta, dirime-
re maritus quidem matrimoniū calliditate non vult: sper-
nit autem infelicitatem vxoris, & non ad eā flectitur, nul-
lāque ei competentē curam inferre manifestissimū est,
sed abutitur dote: tunc licentiā habeat vel curator furio-
sæ, vel cognati, adire iudicem competentem: quatenus ne-
cessitas imponatur marito, omnem talem mulieri sustēta-

* *Flo. eius* tionē sufferre, & alimēta præstare, & medicina ei * succur-
rere, & nihil prætermittere, quorum maritum vxori adfer-
re decet, secundum dotis quantitatem. si verō dotem ita

* *Flo dis-* eum dissipare manifestū est, * vt hominem non frugi: opor-
sipaturus tet dotem tunc sequestrari, quatenus ex ea mulier compe-
ita mani- tens habeat solatium vnā cum sua familia: pactis videlicet
festus est. dotalibus, quæ inter eos ab initio nuptiarum inita fuerūt,
in suo statu durantibus, & alterius expectantibus sanita-
tem, aut mortis euentum. ¶ Item pater furiosæ vtiliter in-
tēdere, sibi filia: uē suæ reddi dotem, potest. quamuis enim
furiosa nuncium mittere non potest, patrem eius tamē pos-

* *Hæc in* se certum est. *

Pand. Fl. Patre finēte, eius curator vel filia de dote agit. Idem in patre
circulis su- capto. Bartolus.

perneiclu- ¶ Si soluto matrimonio pater furiosus sit: curator eius vo-
duntur, vt luntate filia: dotem petere poterit: aut si curatoris copia
pro de le- non sit, agere filiam permittendum erit, cauerisque oport-
is habeant bit de rato. ¶ Idem decernendum est, & si ab hostibus cap-
tur. tus sit pater, puellæ dandā actionem de dote repetenda.

¶ Trāsgrediamur nunc ad articulum hunc, vt quæramus,
aduersus quos competat de dote actio. Et aduersus ipsum
maritum competere, palām est: siue ipsi dos data sit, siue a-
lij ex voluntate mariti, vel subiecto iuri eius, vel non sub-
iecto. sed si filius familiars marit⁹ sit, & dos focero data sit:
aduersus focerum agetur. planē si filio data sit: siquidem
iussu foceri: adhuc absolūtē focer tenebitur. quod si filio
data sit, non iussu patris: Sabinus & Cassius responderunt,
nihilomi-

nihilominus cum patre agi oportere. videri enim ad eum peruenisse dotem, penes quem est peculium. Sufficit autem ad id [eum] damnari, *quod est in peculio, vel si quid in re *Flo. dñ. patris verum est. Sin autem socero dotem dederit: cum mandandum. rito non poterit experiri, nisi patri hæres extiterit.

Vxor putatiua habet quasi priuilegium in actione de peculio contra omnes præterquam contra dominum mariti putatiui, & contra eum in rebus exstantibus, quæ propter impensas potuerunt retineri. Bartolus.

¶ Si mulier in cōditione mariti errauerit, putaueritque esse liberum, cum seruus esset: concedi oportet quasi priuilegium in bonis viri mulieri: videlicet ut si sint & alij creditores, hæc preferatur circa actionem de peculio: & si forte domino aliquid. debeat seruus, non præferatur mulier: nisi in his tantum rebus, quæ vel in dotem datæ sunt, vel ex dote comparatæ, quasi & hæ dotales sint.

XXIII. PAVLVS lib. XXXVI. ad edictum.

ET si quid in eam dotē impesum est, nec à muliere reddatur: per doli mali exceptionem seruabitur.

XXIII. VLPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

SI constat matrimonio propter inopiam mariti mulier sagere vult: vnde exactionem dotis initium accipere ponamus: & constat, exinde dotis exactionē cōpetere, ex quo euidētissimè apparuerit, mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. ¶ Si exhæredato marito mulier agat: magis est, ut ex die aditæ patris hæreditatis, incipiat ei dotis exactio. Quotiens mulieri satisfidandum est de solutione dotis post certum tempus, si maritus satisfidare non possit: tunc deducto commodo temporis, condemnatio residui repræsentatur. sed si cum maritus satisfidare possit, nolet: in solidum eum condemnandum, Mela ait, non habita ratione commodi temporis. iudicis igitur officio conuenit, ut aut satisfidatione interposita absoluat maritum, aut habita ratione compensationis eum condēnet. quod quidem hodie magis vsurpatur. nec ferenda est mulier, si dicat, magis se velle dilationē pati, quàm in repræsentatione deductionem. ¶ Siue autem mariti, siue vxoris periculo dos fuit: nihilominus legitimo tempore debet solvere maritus.

Vir te-

Pars IIII. Digestorum lib. XXIII. Tit. III.

*Vir tenetur restituere quidquid habet vel habere sperat à liber-
to dotali, nisi animo donandi vel compensandi sibi permissum fuerit
manumittere Bartolus.*

¶ Si vir voluntate mulieris seruos dotales manumiserit:
si quidem donare ei mulier voluit: nec de libertatis causa
impositis ei praestandis tenebitur. Quod si negocium in-
ter eos gestum est: utiq; tenebitur, ut officio iudicis caueat,
restituturum se mulieri, quidquid ad eum ex bonis liberti,
vel ex obligatione peruenisset. ¶ Si maritus saeuus in ser-
uos dotales fuit: videndum, an de hoc possit conueniri. &
si quidem tantum in seruos vxoris saeuus fuit: constat eum
teneri hoc nomine. Si vero & in suos est natura talis ad-
huc dicendum est, immoderatam eius saeuitia hoc iudicio
coercendam. Quamuis enim diligentiam vxor ea demu
* Flo. exi ab eo exigat, qua rebus suis exhibet, * nec plus possit: at-
get. tamē saeuitia, quae in propriis culpanda est, in alienis coer-
cenda est, hoc est, in dotalibus. ¶ Si vxor viri rem commo-
dauerit, eaque perierit: videndum est, an compensationem
hoc nomine pati possit? & puto, si quidem prohibuit eam
maritus commodare: statim deductionem fieri. si vero non
prohibuit eam commodare: arbitrio iudicis modicum tem-

* Haloā. pus ei indulgeri, cautionem praebenti. *

præbendi. *Quatenus bona mulieris confiscata sunt, eatenus ei desinit actio
de dote competere: quia in fiscum transit: & pro illa parte iudicium
inchoatum exstinguitur: & sufficit sententiam ferri pro alia parte
quae non venit in confiscatione. Bartolus.*

¶ Si bona mulieris pro parte sint publicata, superest mul-
lieri reliquae partis dotis exactio. plus puto, & si post litē
contestatam publicata sit pro parte dos: sufficiet arbitriū
iudicis ad partis condemnationem faciendam. quod si to-
ta dos publicata sit: expirabit iudicium.

*In peculio filii videtur esse quidquid mulier debet filio. & ideo
illud mulier poterit compensare. Bartolus.*

XXV. PAVLVS lib. XXXVI. ad edictum.

SI filiofamiliās dos data sit in iniussu patris: de peculio
quidē agetur: sed siue propter impensas à filio [familiās]
factas, siue propter res donatas à filiofamiliās, vel amotas
ab vxore res peculiares, hoc ipso, quod habet actionem
pater

pater ex persona filij, maius peculium sit. & sic totum est præstandum mulieri, quod in peculio est: quia adhuc sit, quod uxori debeat. ¶ Maritum in reddenda dote de dolo malo & culpa cauere oportet. quod si dolo malo fecerit, quod minus restituere possit: damnandum est, quæti mulier in litem iurauerit: quia inuitis nobis res nostras alius retinere non debeat. ¶ Si post diuortium res dotales deteriores factæ sint, & vir in reddenda dote moram fecerit: omnimodo detrimentum ipse præstabit. ¶ Si qui dotali seruum in fuga erit: cauere debet maritus, se eos viri boni arbitratu persecuturum, & restitutum. ¶ Si vir in quinquennium locauerit fundum, & post primum forte annum diuortium interuenerit: Sabinus ait, non alias fundum mulieri reddi oportere, quam si cauerit, si quid præter unius anni locationem maritus damnatus sit, id se præstatum. sed & mulieri cauendum, quidquid præter primum annum ex locatione vir consecutus fuerit, se ei restitutum.

XXVI. IDEM lib. XXXVI. ad edictum.

Semel mora facta, si seruum dotalem postea offerente marito mulier accipere noluerit, & ita is decesserit: non debet precium eius maritus vel heres eius: ne dānum sentiat, quod postea offerente eo, mulier accipere noluit.

Licet persona actoris mutetur, non tamen mutatur qualitas actionis: scilicet respectu conuenti. Bartolus.

XXVII. GAIUS lib. XI. ad edictum provinciale.

Si post diuortium mortua muliere hæres eius cum viro parente eius agat: eadem videtur de restituenda dote interuenire, quæ ipsa muliere agente obseruari solent.

Quod vir ab eius uxore potest exigere, in eius bonis non computatur: & illud dicitur posse facere quod dicitur hic in textu ibi, facere posse, & ideo in hoc compensatio nulla obicitur mulieri. Bartolus.

XXVIII. VIPIANVS lib. I. Institutionum.

Facere posse maritus etiam id videtur, quod à muliere consequi potest: scilicet si iam ei aliquid absit, quod pro muliere vel expedit, vel mandatu eius præstitit. Cæ-
terum si nondum ei absit, ut puta si sub conditione obligatus est: nondum videtur facere posse.

*Flo. &
vulg. mul.
aliquid ex
pen.

Pater appropriat sibi actionem de dote, si ante matrimonium stipuletur, vel post tempore traditionis, alias secus, nisi filia ei consentiat.

tiat. Bartolus.

XXIX. IDEM lib. III. Disputationum.

Quotiens pater dotem dat, & stipulatur: ita demum in suam personam de dote actionem transfert, si ex continenti stipuletur. Ceterum si interposito tempore stipulari velit: non nisi consentiente filia poterit, quamvis in potestate sit: quia deteriore conditionem in dote filie facere non potest, nisi consentiat. plane si ante nuptias dotem dederit: poterit ex intervallo (ante nuptias tamen) & citra voluntatem quoque filie stipulari. Si quis pro muliere dotem voluerit, conueneritque, ut quoquo modo dirempto matrimonio, ipsi solueretur: postea maritus uxori dotem dederit: rectissime dicitur, ex actionem nihilominus ei, qui dedit, contra maritum competere.

XXX. IULIANVS lib. XVI. Digestorum.

Nupta non impeditur, quod minus cum priore marito de dote experiatur. Quotiens culpa viri accidit, nedos à socero, aut à quolibet alio, qui mulieris nomine promiserat, exigeretur: si aut in matrimonio filia decesserit, aut materfamilias facta, eum, qui dotem repromiserat, hæredem instituerit: satis constat, nihil amplius virum præstare debere, quam ut eos obligatione liberet.

Pro qua parte bona mariti publicantur: pro ea parte ad dotem fiscus tenetur. Bartolus.

XXXI. IDEM lib. XVII. Digestorum.

Si marito publico iudicio damnato, pars aliqua bonorum eius publicetur: fiscus creditoribus eius satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est.

Dotē sibi pacto remissam pater non exigit soluto matrimonio. B.

Si pater, cum ducta filia sua nomine dotis gratia promississet, pactus fuerit, ne amplius, quam centum, à se peterentur & soluto matrimonio egerit: centum, de quibus conuenit, ne peterentur, nec intelliguntur dotis esse. quod si mortuo patre cum hærede eius maritus agere cœperit: ista quoque pecunia in dotem erit.

Actio iudicati post mortem patris consolidatur in personam filie sicut actio de dote. Bartolus.

Si voluntate filie procurator à patre datus, litē de dote contestatus fuerit, & re secundum eum iudicata pater decesserit:

Soluto matrimonio, quæadmodum dos pet. 636

cesserit: iudicati actionem filia potius, quam hæredibus patris, dari oportebit.

Quatenus solum est mulieri, eatenus vir à cohæredibus eius non repetit. Bartolus.

¶ Cum patri dos data esset, & ei filius ex aliqua parte hæres sub conditione institutus fuerit, & pendente conditione cohæredes eius dotem pro sua portione mulieri soluerint: hoc minus ex dote filius præstare debebit, quoniam nullam actionem eius pecuniæ recuperandæ gratia aduersus cohæredes habet.

¶ *Fructus augment dotem: & ideo quod iuris est in dote, erit & in fructibus. Bartolus.*

¶ Si fundum dotalem recepisset mulier, non habita ratione fructuum pro portione anni, quo nupta non fuisset: nihilominus de dote agere potest: quia minorem dotem recepisset. hoc enim ad dotis augmentum pertinet: quemadmodum si partum ancillarum non recepisset, aut legata vel hereditates, quæ post diuortium per seruos dotales adquisitæ marito fuissent.

Qui promittit quod debet, intelligitur de debito cum effectu. B.

XXXII. IDEM lib. II. ad Vrseium Ferocem.

SI prior maritus posteriori dotis nomine tanquã debitor mulieris, dotem promiserit: nõ plus, quàm id quod facere possit, dotis futurum esse.

Adhibitus ad stipulandum dotem animo donandi, potest eam à marito repetere, licet maritus ab uxore adhibente nunquam receperit: si tamen sibi successit in hereditate, quanquam hereditas non sit soluendo. Alexander.

XXXIII. AFRICANVS lib. IIII. questionum.

QUæ dotis nomine certam pecuniã promiserat: quosdam adhibuerat, qui stipularẽtur partem dotis distracto matrimonio sibi solui. ea nulla data dote obiecit, eodem marito suo hærede relicto. is damnosam hereditatẽ eius adierat. nihilominus stipulatoribus tenebitur, quoniã adeundo hereditatem debitoris intelligeretur se compensasse. nec ad rem pertinere, quod soluẽdo nõ esset hereditas, quando cæteris etiam creditoribus teneatur.

Exceptio opposita à tertia persona cuius interest, obstat, & venit examinanda in iudicio: & habet processum impedire. Alexander.

4 Qij XXXIIII.

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

XXXIII. IDEM lib. VIII. *Questionum.*

Titia diuortium à Scio fecit. hanc Titius in sua potestate esse dicit, & dotē sibi reddi postulat. ipsa se matrem familiās dicit, & de dote agere vult. quā sitū est, quæ partes iudicis sint? respondi. patri, nisi probet filiam non solum in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi: denegandam actionē, sicuti denegaretur, etiam si constaret eam in potestate esse.

XXXV. MARTIANVS lib. X. *Institutionum.*

Liberta, quæ voluntate patroni discessit, de dote cū eo agere potest, quem ei dedit.

Etia si fiscus succedat uxori, non perditur privilegiū mariti. B.

XXXVI. PAVLVS lib. II. *de adulteriis.*

Si maritus minus facere potest, & dos publicata sit: in id, quod facere potest, fisco maritus condemnandus est: ne in perniciem mariti mulier punita sit.

Non videtur filia contradicere, quæ iustam causam contradicendi non habet. Bartolus.

XXXVII. VLPIANVS lib. II. *Responsorum.*

Dotem voluntate filiae videri patrem recepiſſe, cum causis contradicendi ei filia non haberet: maximè, cū ab eo postea ampliore summa dotata sit.

Sponsalia contracta per patrem, non exstinguunt ius petendi dotem, vel retinendi filio competens culpa mulieris. Bartolus.

XXXVIII. MARCELLVS lib. singulari *Responsorum.*

Lucius Titius, cū esset filius familias, voluntate patris uxorem Mæuiam duxit, & dotem pater accepit. Mæuia Titio repudium misit. postea pater repudiati, absente filio, sponsalia cum eadem nomine filij sui fecit. Mæuia deinde repudium sponsalibus misit, atque ita alij nupsit. quæro. si Mæuia ageret * cum Lucio Titio quondā marito, & à patre hærede relicto de dote, & probetur culpa mulieris matrimonium dissolutum: an possit maritus propter culpā mulieris dotē retinere? Marcellus respondit. etiā si vt hæres institutus à patre Titius cōueniretur: tamen si sponsalibus non consensisset, culpam mulieris multandam esse.

Exceptio adulterii tollitur replicatione lenocinii: vel e contra: cū agitur civiliter de dote vel donatione propter nuptias lucranda. Alexander.

XXXIX.

* Fl. ager

Soluto matrimonio, quemadmodū dos pet. 637

XXXIX. PAPINIANVS lib. XI. *Questionum.*

Viro atq; vxore mores inuicē accusantibus, causam repudij dedisse vtrunque pronunciatū est. Id ita accipi debet: vt ea lege, quam ambo contemplerunt, neuter vindicetur. *paria enim delicta mutua pensatione dissol-
uuntur.

*Etenim
non modo

Pater stipulando dotem, mandato filia videtur stipulari, & tā-
quam eius procurator: ex qua stipulatione filia mortua sine liberis sed ne ob-
agit pater vt haeres filia. sed filia viuente eius agendi non residet in
patre. Alexander.

accusator,
iurgator
quidē ferē
dus est is

XL. IDEM lib. XXVIII. *Questionum.*

Post dotem datam & nuptias contractas stipulatus est
pater, voluntate filia, DIVORTIO FACTO DO-
TEM DARI? si conditio stipulationis impleatur, & po-
stea filia sine liberis decesserit: non erit impediendus pater
quod minus ex stipulatu agat. viua autem filia, si agere vult, ipse depre-
ceptione submouendus erit.

qui quod
altero vi-
uiū repre-
hēdit, in eo
ipse depre-
henditur,

Etiā pro dote soluta soluto matrimonio competit actio de do-
te. Alexander.

Cic. actio.
s. in Ver-
rē & ibi-

XLI. IDEM lib. I. *Responsorum.*

Si pater ignorans filiam diuertisse, dotē ex causa pro-
missionis numerauerit: non per indebiti conditionē.
sed de dote actione pecunia petetur.

dem multa
in eandem
sententiā.

Mors ciuilis patris facit actionem de dote filia esse pro solido. B.

XLII. IDEM lib. IIII. *Responsorum.*

In insulam patre deportato, qui pro filia dotem dedit,
actio dotis ad filiam pertinet. Post diuortium quoque
patre damnato, [qui dotē] *consentiente filia nō petierat,
æquē dotis actio mulieris est.

*Fl. qui-
dem.

Vir non lucratur fructus dotis putatina: retinet tamen quatenus
in vxorē cōsumpsit, & quatenus necessariū vel vtiliter impedit. B.

Fructus ex prædiis, quæ in dotem data [esse] videbātur,
bona fide perceptos, & [in] mulieris oneribus ante causam
liberalem absumptos: quamuis seruā fuisse postea consti-
terit, peti non posse placuit. Sumptus verò necessarios &
vtilis in prædia, quæ dotalia videbantur, factos: compen-
satis fructibus perceptis, ad finē superflui seruari cōuenit.

Debitum hinc inde ex causa vsuraria compensatur. Item marito
non debentur vsuræ qui non alit vxorem. Bartolus.

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. II I.

¶ Vsuras[autē] numeratæ dotis ex stipulatu pater, in matrimonio defuncta filia, si petat: gener, qui residuæ dotis promissæ fœnus stipulatus est: ita demum ad finem vice mutua debitæ quantitatis compensationem opponere iuste videtur, si propriis sumptibus vxorem suam exhibuit. alioquin si patris sumptibus exhibita sit: inanis vsurarum stipulatio compensationi non proderit. ¶ Ad virum vxore post diuortium reuersa, iudicium acceptum ex stipulatione, qua extraneus, qui dotem dederit, stipulatus fuerat, nõ dissoluitur, nec officio iudicis absolutio continebitur.

Maritus non tenetur per restitutionem dotis actionem de dote cedere, si aliud ad vitam sufficiens sibi non remanet. Bartolus.

XLIII. SCAEVOLA lib. II. *Questionum.*

SI maritus in id, quod facere potest, condénatus sit, & nomina sint ad dotis quantitatem, neq; amplius habebit: neq; mandare actiones[debet.]

Licet socer succedat genero, non tamen filia perdit ius consolidationis: imò facta sui iuris agere poterit contra hæredes patris sui, vel etiam contra ipsum patrem tanquam hæredem mariti. Alexand.

XLIIII. PAVLVS lib. V. *Questionum.*

SI socer à genero hæres institutus, adierit hereditatem: quandoque mortuo patre, cum hærede eius filiam de dote acturam, Nerua & Cato responderunt: vt est relatū apud Sextum Pomponium digestorum ab Aristone libro quinto Ibidem Aristoni consensit. Ergo dicerem, & si emancipasset pater filiam, ipsum quoque conueniri posse.

Qui petit illud quod restitutus est alteri quàm ei à quo petit, dolo facere non videtur. Bartolus.

¶ Lucius Titius filix suæ nomine centum doti promissæ Caio Seio: intérque Caium Seium & Lucium Titium patrem mulieris cōuenit, ne dos à viro viuo Lucio Titio id est patre mulieris peteretur. postea culpa mariti diuortio facto solutū est matrimoniū: & pater mulieris decedēs alios hæredes instituit, filia exheredata. Quæro, an ab hæredibus soceri maritus exigere possit dotē, cū eā mulieri rediturus sit? respondi. cū filia, aliis à patre hæredibus institutis, actionē de dote sua recuperanda habere cœperit: necesse habebit maritus, aut exactā dotē, aut actiones ei præstare. nec vllam exceptionem habebunt soceri hæredes aduer-

Solutio matrimonio, quæ ad modum dos pet. 638

aduersus eum: cum absurdè dicatur: dolo videri eum face-
re, qui non ipsi, quem conuenit, sed alij restitutus petat.
alioquin & si post mortem patris diuertisset: nondum ex-
acta dote, excluderetur actione * dotis maritus. quod non * Floren.
est admittendum. sed & si ex parte filia hæres patri suo ex-
actione
titerit: debet maritus cohæredes eius pro parte virili
exigere, & mulieri reddere, aut actiones ei præstare.

Ex pacto aui materni dotem dantis soluto matrimonio actio
queritur mulieri. Bartolus.

XLV. IDEM lib. VI. *Questionum.*

GAius Seius auus maternus Seia nepti, quæ erat in
patris potestate, certam pecuniæ quantitatem dotis
nomine Lucio Titio marito dedit, & [in] instrumeto do-
tali huiusmodi pactum & stipulationem complexus est. Si
inter Lucium Titium maritum & Seiam diuortium sine
culpa mulieris factum esset: dos omnis Seia vxori, vel
Caio Seio aui materno redderet, restituereturq; Quæro.
Cum Seius auus maternus statim vita defunctus sit, & Seia
postea sine culpa sua diuerterit, viuo patre suo, in cuius po-
testate est: an, & cui actio ex hoc pacto ex stipulatione co-
petat? & vtrum hæredi aui materni, ex stipulatu, an nepti?
Respondi, in personâ quidè neptis videri inutiliter stipu-
lationem esse conceptam, quoniam auus maternus ei sti-
pulus proponitur. Quod cum ita est: hæredi stipulatoris
(quandocumq; diuerterit mulier) actio competere vide-
tur. Sed dicendum est: Seia dotem posse solui, quamuis
actio ei directo non competat, ac si sibi aut illi dari auus
stipulus esset. Sed & permittendum est nepti ex hac aui
ta conuentione, ne commodo dotis defraudetur. vtilem
actionem. fauore enim nuptiarum, & maxime propter af-
fectionem personarum, ad hoc decurrendum est.

Legatum quod non potest capi, non potest in dotem compensari. B.

XLVI. IDEM libro nonodecimo *Questionum.*

Qui dotem stipulanti vxori promiserat, eidem testa-
mento quædam legauerat: ita tamen, ne dotem ab
hæredibus pereret ea, quæ legata erant, vxor capere non
potuerat. Respondi, dotis actionem mulieri aduersus hæ-
redes non esse denegandam.

Sine maritus excipiat de adulterio, ut dotem lucretur, siue crimina-

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

*liter accuset: lenocinii replicatione, vel exceptione repellitur. Ale.
XLVII. SCAEVOLA lib. XIX. Quaestionum.*

Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinet. Cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut ante corrumpit, aut postea probauit? Si tamé ex mente legis sumat quis, vt nec accusare possit, qui lenocinium vxori prębuerit: audiendus est.

Appellatione liberorum nepotes continentur. Bartolus.

XLVIII. CALLISTRATVS lib. II. Quaestionum.

Si dotali instrumento ira stipulatio interposita sit, vt li berorum nomine dos apud maritum resideat: nepotū quoque nomine dos retinebitur.

Maritus non tenetur de periculo nominis, si sibi culpa imputari non potest. Bartolus.

XLIX. PAVLVS lib. II. Responsorum.

Mæuia marito suo inter alias res dotis, etiam instru mentum solidorum decem tradidit: quo Otacilius eidem Mæuiæ cauerat, daturū se, cū nuptum ire cepisset, decē. ex eo instrumento maritus nihil exegit: quia nec potuit. Quæsitum est, si dos à marito petatur, an compellen dus sit, etiam illam summā, quæ instrumento cōtineatur, refundere? Respondi. potuisse quidem eum, cui actiones mandatæ sunt, debitorem conuenire: sed si sine dolo malo, vel culpa exigere pecuniam non potuerit: neque dotis nomine eum conueniri posse, neque mandati iudicio.

Si prædium æstimatum in dotem datum sine culpa euincatur, nō debetur æstimatio mulieri. Bartolus.

Fundus æstimatus in dotem datus à creditore antecede te ex causā pignoris ablati est. Quæsitū est. an mulier, si æstimationem dotis repetat, exceptione submouenda sit? ait enim propterea se non teneri, quod parer eius dotem pro se dedit, cui hæres non exstiterit. Paulus respondit. prædio euicto sine dolo & culpa viri: precium petenti mulieri doli mali exceptionem obesse. Consequi enim eam precium fundi euicti, euidens iniquitas est, cum dolus patris ipsi nocere debeat.

Fundus æstimatus tali æstimatione qua non facit emptionem, potest alienari muliere volente. Bartolus.

L. SCAEVOLA lib. II. Responsorum.

Si æstimationis rebus in dotem datis, pactum intercessit: ut ex quacumque causa dos reddi deberet, ipsæ res restituerentur, habita ratione augmenti & deminutionis viri boni arbitratu: quæ verò non exstarent, æstimatio earum. Quæsitum est. cum res quædam, quas maritus vendiderat, exstarent: an secundum pactum & hæc ad mulierem pertinerent? respondi. res, quæ exstant, si neque volente, neque ratum habente muliere, venissent: perinde reddendas, atque si nulla æstimatio interuenisset.

LI. HERMOGENIANVS lib. I. iuris epitomarum.

A æstimate res usu etiam mulieris periculo mariti deterioriores efficiuntur.

Dos indebitè reddita condicitur. Barto.

LII. TRIPHONINVS lib. VII. Disputationum.

Maritus dotem, quam non accepit, [si] post diuortium per errorem soluit, repetet: quia non numeratam [pecuniam] cauerat. exigi enim ab eo non potuit.

LIII. IDEM lib. XI. Disputationum.

Si filio familiæ data est dos: ipse quidem dotis actione tenetur, pater autem eius de peculio: nec interest, in peculio rem vel pecuniam dotalè habeat, nec ne. sed quatenus facere potest, hic quoque condemnandus est. Intel ligitur autem peculiotenus facere posse, quod habet rei iudicatæ * tempore. Atquin si cum patre agatur: deduce- * Floren.
tur ex peculio, quod patri vel subiectis ei personis filius iudicandæ
debet. at si cum ipso filio agatur: alterius debiti non fiet detractio, in computatione quantum facere possit filius.

*In æstimatione quantum quis facere potest, non fit deductio æ-
ris alieni, nisi in donatore. Bartolus.*

LIIII. PAVLVS libro singulari de iure singulari.

Maritus facere posse creditur, nullo deducto ære alieno: itè socius, item patronus, parénsve. at is, qui ex donatione conuenietur: omni ære alieno deducto facere posse intelligitur.

Viro restituyente dotè debet à muliere caueri de indénitate. Bar.

LV. IDEM lib. V. ad Plantium.

Cum mulier de dotis repetitione post solum matrimonium agit: cauere debet marito, qui ædium nomine damni infecti cauit: si velit eam recipere, ut periculum

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

*Floren. lum mariti amoueat.

Stipulatio generalis refertur ad omnem casum soluti matrimonii. Bartolus.

LVI. IDEM lib. VI. ad Plantium.

SI quis sic stipuletur à marito, SI QVO CASU TITIA TIBI NVPTA ESSE DESIERIT, DOTE DABIS? hac generali commemoratione, & ab hostibus capta ea, committetur stipulatio: vel etiam si deportata fuerit, vel ancilla effecta. hac enim conceptione omnes hi casus continentur. Planè quantum veniet in stipulatione: vtrum quasi mortua sit, an quasi diuortium fecerit? sed humanius quis id competere dixerit, quod propter mortem conuenit.

Vsusfructus in dotem datus in re propria mulieris, sibi & heredi eius restituitur facto diuortio: in re verò mariti, sibi dumtaxat: in aliena verò, commoditas percipiendi fructus sibi, & heredi debet restitui. Barto.

LVII. MARCELLVS lib. VII. Digestorum.

VSUFRUCTU in dotem dato, si diuortium interuenerit, nec proprietas rei apud maritum vel mulierem sit: eam dotis esse restitutionem, ut maritus caueat, quamdiu vixerit, passurum se uti frui mulierem heredemque eius: quod an verum sit circa adiectionem heredis, dubito. [sed] interest, quemadmodum sit vsusfructus in dotem datus. si cum haberet mulier [vsu] fructu, viro, cuius erat proprietas fundi, vsu fructum cessit: nihil mulier heredi suo relinquit. debebatur enim ei vsusfructus, qui ad heredem non solet transire. Quod si fundi sui fructum mulier viro cessit: restitui is à viro debet. cum proprietate enim ad heredem eius transisset, si vir in reddendo eo non fecisset moram. Si verò alienata sit proprietas, aut aliquis fundi sui vsu fructum mulieris iussu viro eius dederit in dotem: inspicendum est primum, quemadmodum mulieri possit restitui. potest autem vel cautionibus interpositis, ut (si cur potest) vir iure suo cedat mulieri, fruique eam patiat: vel si se accommodauerit dominus proprietatis, volente eo, mulieri constituatur vsus fructus. nam aut fructum fundi ille mulieri poterit cedere, aut aliquid videlicet pro eo (ut inter eos actum fuerit) dare. (nam & fingit hoc

hoc ipsum mulierem posse proprietatis domino vendere. quo casu non iniquè etiam mulieris hærede agente, vir facere cogetur: quippe si moram nō fecisset, precium fructus mulier hæredi suo reliquisset. quod si facultatem vsusfructus vendendi proprietatis domino mulier non habuerit: patientiam percipiendi fructus, quam præstare ipsi debuit, etiam hæredi eius præstet.

In rebus quæ ad alienū commodum geruntur, consilium est illius voluntatem exquirere: vt gestor se à periculo gestionis exoneret. B.

LVIII. MODESTINVS lib. singulari de euermaticis.

Seruus dotalis hæres ab aliquo institutus, mariti iussu, vel adire, vel repudiare debet hereditatem. sed ne maritus aut faciliè repudiando, vel temere suscipiendo, inco- gnitam successionem dotis iudicio vxori suæ obliget: con- sulendum est, mulierem coram testibus interrogari, vtrum velit omittere, an acquirere hereditatem. & si repudiare se dixerit: faciliè mariti iussu repudiabit. quòd si hæredita- tem agnoscere maluerit: reddendus est à marito seruus vxori, ea cōditione, vt cum iussu eius adierit, rursum ma- rito retradatur. ita & mariti sollicitudini consuletur, & vxoris desiderio parebitur.

Repudium fraudulentum patri non præiudicat. Bar.

LIX. IULIANVS lib. II. ad Vrsium Feroem.

Filia meæ emancipatæ & egræ vir in hoc repudiū mi- sit, vt mortua ea dotem potius hæredibus eius, quàm mihi redderet. Sabinus dicebat, vtile mihi eius dotis recu- perandæ iudicium dandum esse. Gaius idem.

Expensa funeris statim repetitur non expectata dilatione legali. Bartolus.

LX. PROCVLVS lib. V. Epistolarum.

Si filia familiæ nupta decesserit, & pater funus ei fece- rit: tametsi ei dotem post aliquod tempus gener red- dere deberet: tamen continuò socer agendo consequi- tur, vt impensam funeris præsentem recipiat: cætera dotis statuto tempore soluantur.

Si vir manumittit vxore contradicente, restituit omnia. Barto.

LXI. PAPINIANVS lib. X I. Quæstionum.

Dotalè seruum vir inuita vxore manumisit. solus vir hæres à liberto institutus, portionē hereditatis, quā
vt

Pars II. Digestorum lib. XXIII. Tit. III.

ut patronus consequi potuit ac debuit, restituere debet: alteram vero portionem dotis iudicio, si modò vxor manumittenti refragatur.

Si vir voluntate mulieris donantis seruos dotales manumittit, de impositis operis nil restituit. Bar.

LXII. VIPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

QUOD si vir voluntate mulieris seruos dotales manumiserit, cum donare ei mulier [seruos] voluit: nec de libertatis causa impositis ei præstandis tenebitur:

LXIII. PAVLVS lib. II. ad legem Iul. & Papiam.

ET definit seruus in dote esse: quia cui manumittendi causam donare liceret, ei quodammodo donaret, quod permetteret manumittere.

Si maritus manumittit vxore volente eo animo, ut eius negotium geratur, restituit omnia quæ ut patronus consequitur, mulieri & eius heredi, secus in eo quod consequitur ut quilibet. Bar.

LXIII. VIPIANVS lib. VII. ad legem Iul. & Pap.

SI verò negociū gerens mulieris nō inuitæ, maritus dotale seruū volūate eius manumiserit: debet vxori restituere, quicquid ad eū peruenerit. sed & si quid libertatis causa maritus ei imposuit, id vxori præstabit. planè si

* Flo. à operæ fuerint marito * exhibitæ, nō æstimatio earum: non erit æquum, hoc nomine vxori maritū quidpiā præstare.

Sed & si post manumissionē aliquid fuerit ei liberti impositū, id vxori præstandū est. sed & si reū maritus accep-

* Flo. ad rat, expromissorē mve: * æquē aduersus ipsum obligationē debet præstare. Item quicquid ad eū ex bonis liberti peruenit, æquē præstare cogetur: si modò ad eū quasi ad patronum peruenit. cæterum si alio iure: nō cogetur præstare. nec enim beneficium, quod in eum libertus cōtulit, hoc vxori debet: sed id tantū, quod iure patronatus adsequitur, vel adsequi potuit. planè si ex maiore parte, quā debet, hæres scriptus fuerit: quod amplius est, nō præstabit. & si fortè, cum ei nihil deberet libertus, hæredē eum scripsit: nihil vxori restituet. ¶ Dabit autem (ut ait lex [Iulia]) quod ad eū peruenit. peruenisse accipimus, siue iam exegit, siue exigere potest: quia actio ei delata est. Adiciuntur in lege, VT ET SI DOLO MALO ALIQUID FACTVM SIT, QVO MINVS AD EVM PERVENIAT,

NIAT,

NIAT, TENEATUR. Si filiū exheredauerit patronus, & ad eū bona liberti pertineant: videndum est, an hæres hoc nomine teneatur. & cū nihil, neque ad ipsum patronum, neque ad heredem eius perueniat: quomodo fieri potest, ut hoc nomine teneatur?

Prouisio legis contra ius commune non extenditur ultra illud, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio. Bartolus.

¶ De viro hæredeque eius lex tantū loquitur: de socero, successoribusque soceri nihil in lege scriptum est. & hoc Labeo quasi omisum adnotat. In quibus igitur casibus lex deficit, non erit utilis actio danda.

Quando quis tenetur ad quantitatem respectu certa speciei, soluendo speciem liberatur. Bartolus.

¶ Quod ait lex, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTVM PECVNIAM DATO: ostendit æstimationem hereditatis, vel bonorum liberti, non ipsam hereditatem voluisse legem præstare: nisi maritus ipsas res tradere maluerit. & hoc enim benignius admitti debet.

LXV. SCAEVOLA lib. singulari *Quæstionū publicè tracta.*

Hæc actio etiam constante matrimonio mulieri cōpetit.

Dammum datum ab inimicis mariti, culpa mariti dari videtur: & ideo maritus tenetur. Bartolus.

LXVI. IABOLENVS lib. VI. *ex posterioribus Labeonis.*

In his rebus, quas præter numeratam pecuniā doti vir habet, dolum malum, & culpā præstare eum oportere, Seruius ait. eaque sententia Publij Mutij est. nam is in Licinnia* Gracchi vxore statuit: quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, periissent: ait (quia Gracchi culpa ea seditio facta esset) [eas] Licinniae præstari oportere.

Facto diuortio maritus vestimenta data seruis dotalibus recuperat, qualia sunt, alias compensat in dotem. Bartolus.

¶ Seruis vxoris vir nummos in vestiariū dederat. quo peracto, deinde intra annum diuortium intercesserat. placuit Labeoni & Trebatio, qualia vestimēta post diuortium essent, talia viro reddi. Idem iuris futurum fuisse, si ipsa vestimenta vir emisset, & seruis dedisset. quod si vestimenta non redderentur: tunc virū precii in dotē cōpēsaturum.

Volunt as

*P. Licinnii Crassii filia, cui tunc dotem ademptā Plautarchus ait.

Pars IIII. Digestorum lib. XXIIII. Tit. III.

Voluntas de soluendo patri non impedit filia ius consoli dationis mortuo patre in ea parte qua soluta non est. Bartolus.

¶ Filia familiam diuortio facto, dotem patri reddi iusserat. deinde parte dotis persoluta, pater decesserat. reliquam partem, si nec[dum] delegata, nec promissa nouandi animo patri fuisset: mulieri solui debere, Labeo & Trebatius putant. idque verum est.

Si ad maritum spectat periculum ancillarum, ad eum spectat partus earum. Bartolus.

¶ Mancipia in dotem aestimata accepisti. pactum conuentum deinde factum est, ut diuortio facto, tantidem aestimata redderes: nec de partu dotalium ancillarum mentio facta est. manebit (inquit Labeo) partus tuus: quia is pro periculo mancipiorum penes te esse debet.

Si maritus per errorem promisit plus debito, non potest exigere ultra debitum. Bartolus.

¶ Mulier, quæ ceterum dotis apud virum habebat, diuortio facto duceta à viro errate stipulata erat. Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi: siue prudens mulier plus esset stipulata, siue imprudens. Labeonis sententiam probo.

Dos primi matrimonii videtur in sequenti matrimonio repetita: licet matrimonium tertii in medio interuenerit. Bartolus.

¶ Vxor diuortio facto partem dotis receperat, partem apud virum reliquerat. deinde alij nupserat. iterum vidua facta ad priorem virum redierat, cui centum decem doti dederat. neque eius pecuniæ, quæ reliqua ex priore dote erat, mentionem fecerat. diuortio facto, reliquum ex priore dote iisdem diebus virum redditurum ait Labeo, quibus reddidisset, si superius diuortium inter eos factum non esset: quoniam prioris dotis causa in sequentem dotis obligationem esset translata. & hoc verum puto.

Dos acceptilata potest repeti sicut dos data. Bartolus.

¶ Si vir socero, iniussu vxoris, manente matrimonio, dotem acceptam fecisset: etiam si id propter egestatem soceri factum esset, viri tamen periculum futurum, ait Labeo. & hoc verum est.

Pro qua parte mulier tenetur soluere, pro ea parte ad virum non spectat periculum. Bartolus.

¶ Si quis pro muliere dotem viro promisit, deinde hæredem mu-

de muliere relicta decessit: qua ex parte, mulier ei hæres esset, pro ea parte dotis periculū, quod viri fuisset, ad mulierem pertinere, ait Labeo: quia nec melius, nec æquius esset (quod exigere vir ab vxore non potuisset) ob id ex detrimento viri mulierem lucupletari. & hoc verū puto.

Virtetur de dolo & culpa in quærendo & conseruando peculium: & fructus peculii spectant ad virum. Bartolus.

LXVII. POMPONIVS lib. xx. *Epistolarum.*

In partem dotis reddendæ erit id, quod mulieri ex peculio serui restitui debebit. & ideo & dolum & culpam in eo peculio, vel adquirendo, vel conseruando maritus præstare debet: & fructus ex eo percepti, quomodo cuiuslibet rei dotalis, ad maritum pertinebunt.

DIGESTORVM SEV PANDectarum Liber viceſimus quintus.

DE IMPENSIS IN RES DOTALES factis. Titu. I.

I. VLPPIANVS lib. xxxv. *ad Sabinum.*



IMPENSARVM quædam sunt necessaria, quædam vtilis, quædā voluptaria. ¶ Necessariæ hæc dicuntur, quæ habent in se necessitatē impendēdi. cæterum si nulla sit necessitas: alio iure habentur. In necessariis impensis hoc sciendum est: eas demum impensas dotem minuere, quæ in do-

tem factæ sunt. cæterum si in dotem factæ non sint: nō habent in se reputationem. ¶ Inter necessarias impensas esse Labeo ait, moles in mare vel flumē proiectas. sed & si pistrinum vel horreum necessario factum sit, in necessariis impensis habendum ait. Proinde Fulcinius inquit, si ædificium ruens, quod habere mulieri vtile erat, refecerit: aut si oliueta defecta * restaurauerit: vel [G] ex stipulatione

* Flo. &
vulg. reie-
cta.

VEL [G] in valetudinem seruorum impenderit.

II. PAVLVS lib. vii. *ad Sabinum.*

Que